

Franz Stypmann Heinrich Baltzer

Disputatio Iuridica De Ordine Iudiciorum Seu Processu

Gryphiswaldiae: Jeger, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749942576>

Druck Freier  Zugang





N. N. — 2 (iso.)

1. Ström, De scriptura privata.
2. Stephani, Diss. inaug. editionis actorum seu sionada in partia proe-
liminare, processum ad normam ordinationis Camerae lib. 11, 31
collocata ad 11. Com. 3 Civ. secundum dd. et favorum statuta specia-
lia, directum
3. Stipper, de eo, quod justum est; circa ministro-rum ecclesiae sub-
stitutis. vulgo nunc Substitutum dicitur Fradiger.
4. Surmann, de modo quo romani publica judicia sunt
persecuti.
5. von Störcken, de sigillis, nunc signetur, Hutt-Speltan etc.
6. Stypmann, de ordine iudiciorum seu processu.
7. Effor, memoria iudicii principum Germaniae.
8. Estor. Prag. de iure pascendi litteras quas vocant credentiales
a legatis
9. Schoepflin, de processu in contumaciam in causis criminalibus.
10. van Huynden, de mutatione domicilii.
11. Schiltner, de legitima cum quarta vel simili portione, super-
stiti coniugi debita, Concurrentis computatione, nunc dnm
Hinsp. qui dicitur ex p. nunc C. Engsthan etc.
12. Murhardt, de singulari suam iure.
13. Pestel, de minoris obligatione.
14. Schubert, de iustitia transactionis testamenti nondum inspectis
tabulis ob sublatam viciniam hereditatem
15. Schultze, de pluralitate tutorum.

16. Schütz, De causis divinis Suevoanis.
 17. Gravius, De receptatoribus.
 18. Gravius, Sylloge assertionum ex jure civili, canonico, feudali, publico, nec non necessariis imperii deponentium.
 19. Ludewig, Specie legum juris ex VII Digestorum partibus congestum, juncta nautica ex Codice, Novellis, Jure Feudali, Canonico et publico.
 20. Tabor, de pactis dotalibus.
 21. Grasius, De solutione tertio facta.
 22. Grasius, De promissione sub amissione honoris et existimationis, famae et fidei, gem. Bay. Michaelis Ep. in Gubern. Rom. in Gloribus, item, Bay. Typogr. Ppeltan.
 23. Grasius, Libertate fluminum publicorum hodiernum relicta in specie, qua usum navigationis, legitimis remediis contra vim publicam et privatam exponenda.
 24. Grasius, Contractus articuli de ut des et certianis remediis.
 25. Grasius, delineatio mandati juris dictatorialis de non alienando.
 26. Werthofius, de usu juris romani aliorumque privatorum in decidendis controversiis liberarum gentium.
 27. Werthofius, De praescriptione inter gentes liberae contra illustrem scriptorem gallicum Pitram Puteanum.
 28. Werthofius, de jure germanis patrio universali.
 29. Werner, an consensus sponsalitus a matrimoniali differt?
 30. Gravius, de indole remedii possessorii ex sinistro intellectu Cam. redintegranda, Cas. III. Quess. I. introducti.
 31. Gravius, de facto conductu judiciali, Pispin. Gubern. in
 von Hupstun.

DISPUTATIO JURIDICA

D E

ORDINE

JUDICIORUM

Seu

PROCESSU

Quam

DEO Ter Opt. Max. auxiliante

Permissu

Amplissimi Jctorum Ordinis in inçlytâ

Gryphiswaldensi

PRÆSIDE

Amplissimo, Consultissimo & Excellentissimo

VIRO

DN. FRANCISCO STYPMAN

J. U. D. Professore Ordinario & Adessore Con-
fistorii Ecclesiastici dignissimo, Fautore ac Studi-
orum suorum Promotore multum
venerando.

Publico eruditorum examini subijciet

HENRICUS BAETZEX


A. & R.

die 27. Novembr. horis consuetis.



GRYPHISWALDIÆ

Typis JACOBI FEGERI Ac. Typogr. excusa A. 1647. 3.



CUM DEO.

Thesis I.



Iudicium est legitima Controversiæ alicujus apud Judicem à litigantibus instituta disceptatio, subsequente Judicis definitione. Meyer Coll. Argent. d. Judic. VVesemb. 7. ff. n. 5. de Judic. Rosb. prax. civil. tit. 1. n. 3.

II. Distingvi solet ut plurimum (1.) ratione personarum agentium & judicantium: ut sc. aliud sit Ecclesiasticum, quando coram Judice Ecclesiastico de causis Clericorum disquiritur, quod fit vel quando inter solos Clericos lis existit, vel inter Clericum & Laicum, Clerico sc. reo existente; *argm. l. fin. C. ub. in rem act.* aliud Seculare. Aliud Ordinarium. Aliud Delegatum. Aliud Competens. Aliud Incompetens. Meyer Coll. Argent. th. 5. d. Judic. (2.) Ratione Finis & Objecti aliud civile quo actor agit ad commodum suum privatum tantum, quod ipsum est ex dominio, contractibus, imo & ex delictis privatis, quoties actor suam duntaxat utilitatem respicit; aliud Criminale, quo agitur ad poenam corporalem, vel multam fisco applicandam, sive ex delicto publico sive privato. (3.) Ratione formæ aliud Ordinarium sive plenum, in quo legitimus & usitatus procedendi ordo observatur; aliud Extraordinarium, quod & Summarium dicitur, in quo simplici viâ & de plano omissis processibus solemnitatibus causa tractatur. Meyer d. l. th. 15. Summarium autem vocatur, non quod ea quæ sunt de substantiâ processus & quæ necessarii requiruntur, veluti Citatio, probatio, sententia &c. possint omitti, sed quod ordo in proponendo negotio & probando non accuratè adèò observetur. Plures Judiciorum divisiones, in Capitale, non Capitale, Conventionale, Reconventionale, Possessorium, Petitorium &c. explicatas vide apud Marant. de Ordin. Judic. part. 4. per tot. Rosb. d. tit. 1. n. 4. & multis seqq.

III. Personæ Judicium constituentes sunt vel principales vel minus principales. Principales sunt Judex & Litigantes actor sc. & reus. c. forus 10. v. in omni extr. de Verb. sign.

A

IV. Judex

IV. Judex est persona publica habens potestatem de causis Litigantium cognoscendi & judicandi. Estq; vel Ordinarius vel Extraordinarius.

V. Ordinarius est, qui ex ordinariâ potestate seu jure suo, i. e. eo ipso, quod talis est, Jurisdictionem exercere potest. *Specul. tit. d. Offic. Ordinar. §. Ordinarius. Termin. in process. Judiciar. c. 1. n. 6.*

VI. Extraordinarius dicitur, qui ex interventu alterius publicæ vel privatæ personæ judicat.

VII. Ex privatæ personæ beneficio judicat ille, qui quidem ipse Jurisdictionem habet ac potestatem judicandi, sed non de eâ ipsâ causâ, de quâ in præsentî quæstio est, sed cui partes spontè ac voluntariò semet subjecerunt; dicitur aliàs prorogatus Judex. *Schotan. Exam. Jurid. p. m. 209.*

VIII. Ex publicæ personæ beneficio judicare dicitur Delegatus & pedaneus. Delegatus is est, cui ad causam cognoscendam, decidendam & exequendam, ab illo qui potestatem habet mandata est jurisdicção. *Schotan. d. l. Rosb. tit. 5. n. 2.* Pedaneus Judex dicitur, cui notio causæ & judicandi facultas sine jurisdictione est commissa. *l. fin. C. ubi & ap. qu. cogn. in int. restit. agit.*

IX. Judicis autem officium sustinere possunt omnes, quibus hoc prohibitum non est sive sint patresfam. sive filiifam. *l. 12. §. fin. ff. d. Jud.* Arcentur autem ab hoc munere quidam ipsâ naturâ, quia sc̄ naturali illâ facultate, quæ in Judice necessariò requiritur, destituntur; uti surdus, mutus, perpetuò furiosus, impubes. *d. l. 12. §. 2.* Cæcus autem rectè hoc officio fungitur, si ipsi cæcitas interim obvenierit. *l. 6. ff. d. Jud. junct. l. 1. §. 5. v. quamvis. ff. d. postul. quidam vero lege: uti sunt minor 18. annis l. 57. ff. de re jud. Senatu motus. d. l. 12. §. 2. ff. d. Jud. Infamis. c. 1. c. 3. q. 7. Legum imperitus. Nov. vel. 82. c. 1. §. 1. miles, exceptis causis militaribus. l. 17. C. d. Judic. quidam denique moribus, ut servi & mulieres, non quod non habeant judicium animi, sed quia receptum est, ne civilibus officiis fungantur. *d. l. 12. §. 2. ff. d. Jud. l. 2. ff. d. reg. Jur.**

X. Litigantes sunt Actor & Reus. Actor est is, qui prior ad Judicium provocat & sibi aliquid ab altero deberi contendit. Reus est, qui convenitur & à quo aliquid petitur.

XI. Minus principales personæ respiciunt vel Judicem, uti sunt

sunt Adfessores, Tabelliones seu Scribæ Judicii, Executores &c. vel Litigantes, uti sunt Advocati, Procuratores, Defensores Syndici.

XII. Adfessores sunt, qui Judici in Judicio adsident, eumq; ad causam rectè decidendam consiliis suis adjuvant. *l. 1. & 7. C. d. Adfess. Specul. tit. d. adfess. §. 1. Rosb. tit. 7. n. 1.*

XIII. Scribæ Judicii, qui aliàs etiam Exceptores, Cancellarii, item Tabelliones, Notarii, Secretarii vocantur, sunt illi, qui universa Judicii acta excipiunt, & bonâ fide conscribunt; videlicet Citations, inhibitiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, sententias, appellationes, & cætera quæ occurrunt competenti ordine conscribenda, loca designando & tempora, & personas, atque eorum omnium, quæ conscripserunt, originalia in Judicii scrinio & Camerâ conservant, ut si super processu fuerit orta contentio, per illa possit veritas demonstrari. *Meyer Coll. Arg. th. 22. d. Offic. Adfess. Harpr. de process. Jud. disp. 1. th. 113. Rosb. tit. 8. n. 3.*

XIV. Executores, qui & Viatores nonnunquam, item Apparitores nuncupantur, sunt tales personæ, quæ Judicibus inserviunt, ita, ut litigantibus decreta eorum denuncient, latamq; postea sententiam exequantur. *Meyer th. 112. d. Judic. Harpr. d. l. th. 114. Rosb. tit. 9. in pr.*

XV. Advocati sunt viri sufficienti eruditione existimationeq; præditi, qui propter excellentem juris cognitionem, prudentiam & eloquentiam singularem, rerumq; multarum usum ad causas forenses agendas vel defendendas quasi patroni vocantur, ut sc. in negotiis arduis litigantium patrocinium in se suscipiant, idq; ut plurimum scriptis pugnando & consulendo. *l. 14. C. d. Adv. divers. Judicior. Gail. 2. Observ. 54. n. 2. Termin. c. 1. n. 24.*

XVI. Procurator dicitur ille, qui negotia aliena, tam judicialia quam extrajudicialia, mandato Domini administrat. *l. 1. ff. d. procurat. ibiq;. Vvesemb. in w. n. 2.*

XVII. Defensores sunt ii, qui absque mandato, præstitâ sufficienti cautione de judicato solvendo, alium ejusve negotia in judicio defendunt. *Specul. tit. d. Defensor. in pr.*

XVIII. Syndici sunt, qui à totis Universitatibus vel Collegiis licitis, ut negotia eorum in Judiciis agant, sunt constituti. *Rosb. tit. 12. n. 2.*

XIX. Tantum de Judicio in genere & personis in eo versantibus; sequitur jam de ipso Judicii ordine & processu. Primus igitur Judicii actus consistit in competentis Judicis aditione, cum sc. actor, qui putat se justam quandam petitionem contra reum conveniendum instituere posse, adit Judicem, cujus potestatem conveniendus agnoscit, petitq; ab eo reum citari, atque insimul offert ei libellum, in quo intentionem suam expressit. *Spec. tit. d. comp. Jud. adit.* Id namque stylo forensi hodierno obtinuit, ut actor Judicem accedens simul ei libellum tradat, rogetq; unà cum citatione reo transmitti, quò sc. exploratà actoris intentione deliberare interim possit, an cedere an contra contendere malit.

XX. Id autem ante omnia requiritur, ut Judex, qui aditur, sit competens, adeò ut processus coram incompetenti Judice habitus sit ipso jure nullus *Schurff. Cent. 2. Consil. 79. n. 4.* Is autem dicitur competens cujus jurisdictioni reus subjectus est; actor namque forum rei sequi debet. *l. 2. C. d. Jurisd. omn. jud. l. fin. C. ub. in rem act. c. si clericus. c. cum sit. extr. d. for. competent.* nisi malit confessim declinatoriam Incompetentiæ exceptionem à reo sibi opponi, *Specul. d. tit. §. 1. in pr.*

XXI. Æstimatur autem Judex seu forum competens (1.) ratione domicilii, ubi sc. reus habitat. *l. 2. C. de jurisd. omn. jud.* (2.) ratione Contractus, quia ubi quis contraxit non minus ibi potest conveniri quam in loco domicilii. *l. 2. §. 4. l. 19. §. 3. & 4. l. 45. ff. d. Judic.* (3.) ratione rei de quà quæstio est, potest namque actio in rem ibi institui ubi res litigiosa reperitur, licet conveniendus ibi non sit præsens. *l. pen. & fin. C. ubi in rem.* (4.) ratione delicti, ibi sc. reus puniendus ubi delictum perpetratum, vel inchoatum, vel ubicunque tandem reperitur. *l. 28. §. 15. ff. d. pæn. l. 1. C. ub. d. Crim. ag. oport. l. 3. C. d. cursu publ. lib. 12. Specul. d. tit. §. 1. n. 3. Boer. decision. 270. n. 2. Meyer Coll. Arg. th. 201. cum seqq. d. Judic. Harpr. disp. 1. th. 119. & seqq.*

XXII. Nonnunquam tamen ex speciali privilegio quædam personæ coram certo Judice sunt conveniendæ. Sic milites, non nisi coram magistro militum *l. 6. C. d. Jurisd. omn. jud.* Studiosi non nisi coram suo Rectore etiam in Criminalibus. *auth. habita. C. ne fil. pro patr.* Uxores non nisi in foro maritorum. *l. 9. C. d. Incol. Quibus*

Quibusdam etiam causis peculiaris Judex est datus. Sic causæ Ecclesiasticæ non nisi coram Judice Ecclesiastico examinantur. *c. si Clericus. extr. d. for. comp. Meyer Harpr. locis all.*

XXIII. Petitione actoris propositâ sequitur Citatio, quæ nihil aliud est quam actus judicialis, quo is, quem judicio fisci opus est, per mandatum judicis, ad certum terminum juris experiundi causâ in judicium vocatur. *Schneidv. ad §. fin. Inst. d. pæn. rem. litig. Vvesemb. π. ff. n. 13. & C. n. r. de in Jus voc. Harpr. d. disp. 1. th. 143. Meyer Coll. Arg. th. 22. de in Jus voc. Rosb. tit. 22. n. 2.* Est autem Citatio principium ac fundamentum omnis processus *§. fin. Inst. d. pæn. rem. lit. & substantiale* judicii membrum. *Schurff. Cent. 1. Consil. 9. n. 1. & Consil. 38. in pr. Term. c. 4. n. 2.* ideoq; , cum ex ipso jure naturali fluere videatur, ne à summo quidem Magistratu omitti potest. *c. 1. extr. d. caus. pos. & propr. clem. pastoralis v. cæterum. de sent. & re jud. Boër. decisio. 247. n. 5. & seqq.* adeo ut omnis actus contra non citatum celebratus sit ipso jure nullus. *c. inter quatuor 8. extr. d. Majorit. & Obedient. Schurff. d. l. n. 2. Gail. 1. Observ. 48. n. 1.*

XXIV. Sunt autem Citationis variæ divisiones, de quibus *Schneidv. d. l. n. 4. & Vvesemb. π. C. n. 4. d. in Jus voc.* placet nobis eam distingvere primò in Simplicem & Peremptoriam. Simplex quæ & dilatoria, per quam ad peremptorium Edictum tandem devenitur, citatum non reddit plenè contumacem quoad condemnationem. Quantum verò temporis quælibet dilatoriarum continere debeat certò definiri non potest. *argm. l. 72. ff. de Jud. l. 2. ff. d. re jud.* quælibet namque judicia peculiare suas hac in re consuetudines habent, à quibus recedendum non est. *argm. c. si episcopus. c. 3. q. 2. c. de inducis, cum seqq. c. 3. q. 3. Term. c. 8. n. 9.* Stylus enim & practica judicii accuratè servanda sunt. *argm. l. 2. C. quemadm. test. ap.*

Peremptoria Citatio est, quâ comminatur judex, qui Edictum dedit, se etiam absente parte adversâ cogniturum de causâ ac pronuntiaturum. *l. 71. ff. d. judic.* dicta exindè, quod protervia ac malitia contumacis per hanc perimatur. *l. 70. ff. d. tit.* Pervenitur autem ad hanc Citationem vel per tres dilatorias. *l. 68. 69. 71. ff. d. tit.* vel per duas vel per unam, prout judici æquum videbitur. *l. 72. ff. d. tit.* Potest etiam prima judicis Citatio esse peremptoria, *d. l. 72. modò tantum temporis contineat quantum aliæ tres.* Una namque

Citatio competentia habens intervalla æquiparatur tribus. *l. 53. §. 1. ff. d. re jud. l. 9. C. quom. & quand. judex.*

XXV. Secundò Citationem distingvimus in Verbalem & Realem. Verbalis fit *vel* per denunciationem, quandò reus coram & in faciem vocatur ad judicem per nuncium seu præconem, *vel* per literas easq; vel privàtim reo tradendas, vel publico in loco affigendas, quæ & Citatio Edictalis nuncupatur.

XXVI. Privàtim per literas Citatio fieri dicitur, quando judex citationem in scriptis reo transmittit per juratum plerumq; judicii nuncium. Et hæc imprimis reo, si copia ejus haberi potest, est insinuanda; Quod si non inveniatur, sufficit ut domesticis ipsius, uxori vel famulis tradatur, vel etiam foribus affigatur & ex vicinis quispiam moneatur, qui reo factam Citationem denunciare possit. Statim a nuncius diem & locum executæ Citationis, personas item, quibus eam tradidit, responsumq; ab iis acceptum bonâ fide consignare debet, quò sc. accurata & vera ejus relatio ad acta judicialia referri queat. *Vid. Pomm. Hoff. Ordn. tit. von den Botten. § Wann die Parthey.* Creditur namque hac in parte nuncio referenti, tum propter juramenti religionem, quo judicio obstrictus est, tum propter fidem personæ semel electam. *Specul. tit. d. Citat. §. sequitur n. 9. & seqq. Schurff. d. Consil. 38. n. 4. & 5. Gail. 1. Observ. 94. n. 4. VVesemb. 7. ff. n. 13. d. in l. v. c.*

XXVII. Edictalis Citatio est denunciatio publica Judicis reum ex longinquis & dissitis locis cum commemoratione causæ, seu copiâ intentionis actoris vel voce præconis, vel literis publicè valvis templorum vel curiæ affixis ad judicium vocantis. *VVesemb. d. l. Term. c. 12. n. 1. Rosb. tit. 27. n. 1.* Non autem quovis casu hæc Edictalis Citatio fieri potest, sed tantùm in casibus necessitatis, quando videlicet per ordinariam Citationem reus vocari non potest, e. g. si citandus per se vel per alios quoquo modo efficiat, ne citatio ad se possit pervenire. *text. in clem. 1. d. Iud.* item si locus, in quo citari quis debet, non sit tutus. *d. clem.* Si persona sit vagabunda; Si contradictor sit incertus, & citentur omnes in genere quorum interest v. g. Creditores defuncti si in diversis locis habitent & incerti sint, possunt citari per Edictum & publica proclamata, ut compareant coram omnium superiore judice, ibiq; creditum suum deducant sub poenâ perpetui

perpetui imposterum silentii impositionis. *Gail. 1. Observ. 57. per tot. Marant. part. 6. tit. d. Citat. n. 82. cum seqq. Rosb. d. tit. n. 2.* Quanto autem tempore Edicti scriptura in loco publico debeat esse affixa, cum jure definitum non sit, merito *cum Marant. d. l. n. 96. & Harpr. d. l. th. 152. judicis arbitrio & observantia cujusq; loci relinquendum arbitramur.*

XXVII. Realis Citatio est, quando reus certas ob causas personali captura ad iudicium deducitur. Sciendum vero, in criminalibus quidem iudicem hoc statim Citationis genere uti posse. *argm. Nov. 134. c. 12. idq; idem ne facinorosus pramonitus fugam capellat; In civilibus vero regulariter non, nisi vel propter insignem rei contumaciam. Marant. d. tit. n. 58. vel etiam propter suspicionem fugae, quo casu, si iudicis copia haberi non possit, fugaeq; periculum imminet, privata etiam autoritate capi debitor potest. argm. l. 10. §. 16. ff. quae in fraud. cred. l. 54. C. d. decurion. Marant. d. l. n. 59. & 62. Term. d. l. n. 6. & seq. Rosb. tit. 26. n. 4. & seqq.*

XXIX. Omnis autem Citatio ut subsistat, sex potissimum continere debet: (1.) Nomen iudicis citantis, sive is sit ordinarius, sive delegatus, qui tamen suae commissionis tenorem citationi inferere tenetur, ut sc. cognoscat citatus, an competens sit nec ne? *c. cum in iure. 31. extr. d. Off. & pot. Iud. deleg.* (2.) Nomen citandi, etiam si sint plures litis consortes. *c. 2. d. rescript. in 6.* (3.) Nomen ejus ad cuius instantiam citatio decreta est, ne sc. iudex proprio motu decrevisse videatur. *Marant. d. l. n. 115.* (4.) Causam ob quam & ad quam quis citatur. *argm. c. 2. extr. d. dilat.* (5.) Locum iudicii. *argm. l. 1. §. 1. ff. quod vi aut clam.* (6.) Tempus seu terminum comparendi. *argm. c. consuluit. extr. d. Off. & pot. Iud. deleg. De his requisitu latissime tractat Gail. 1. Observ. 48. & quinque seqq. Schneidvv. ad d. §. fin. Inst. d. pæn. tem. lit. n. 9. Vvesemb. π. ff. n. 13. & C. n. 9. d. in Ius voc. Meyer Coll. Arg. §. 26. eod. Rosb. tit. 22. n. 17. & seqq.*

XXX. Executa Citatione litigantes vel comparent in praefixo termino vel non comparent, & tunc vel actor emanet vel reus, vel uterque, dicunturq; contumaces. Contumax Hermogeniano in *l. 53. §. 1. ff. d. re jud.* est, qui tribus Edictis propositis, vel uno pro tribus, peremptorio sc. praesentiam sui facere recusat, vel comparet quidem, sed antequam debito modo res in iudicium deducta est, contumaciter iterum

iterum recedit. *Nov. 112. c. 3. c. si quis autem dist. 18. c. certum. 43. c. 11. q. 3. c. de illicita. §. quicumque c. 24. q. 3. c. constitutus. extr. d. procurat. c. 1. d. Iudic. c. causam. d. dol. & contum. c. nullus de presumpt. Contumacia ergo est inobedientia erga Iudicem commissa, quando videlicet litigantes id facere nolunt quod iudex jubet. *d. l. 53. in pr. ff. d. re jud. Rosb. tit. 30. n. 1. & seqq.**

XXXI. Coercetur autem contumacia respectu tam actoris quam rei. Ratione quidem actoris, ut vel (1.) ad praesentiam rei terminus circumducatur, reusq; ab observatione iudicii absolvatur. *Specultit. d. Contum. §. Nunc nobis. 2. n. 3.* Et si postea actor novam Citationem impetrare velit, non prius auditur, antequam reo expensas litis refuderit. *auth. qui semel. C. quomod. & quand. jud. c. 1. d. dol. & contum. in 6. Pomm. HoffB. Ordn. tit. von Contumacien in pr. vel (2.) in potestate rei sit litem contestari, & porro (potest enim & reus probandi onus in se suscipere, *argm. l. 14. ff. d. probat. c. cuius rei. c. 29. q. 2. c. 1. extr. d. restitut. spoliat.*) in causa principali procedere. *c. causam. extr. d. dol. & contum. Ordinat. Cam. part. 3. tit. 42. §. wo aber.* Sicubi igitur de causa iudici plene confiterit, sententiam feret, utique non secundum praesentem praesise, sed secundum eum, cujus causa meliori Jure subnixi videbitur; Et quamvis reus praesens fuerit condemnatus, nihilominus propter obedientiam iudici praestitam ad expensas litis actori non tenetur. *text. in l. 13. §. 2. C. d. Iud. Ordinat. Cam. d. tit. §. würde aber Pomm. HoffB. Ordn. d. tit.* Actori autem omnino, sive succubuerit, sive vicerit, & aliquam forsam in parte se gravatum putaverit, omnis ulterior agendi & causam reassumendi via pracluditur. *d. l. 13. §. 2. imò & appellatio denegatur. argm. l. 7. ff. d. in Integr. rest. Nov. 82. c. 5.**

XXXII. Reus, si contumax extiterit, Actor, siquidem lis fuerit contestata, ulterius in causa progreditur, donec tandem iudex, prout merita causae exposcere viderit, contumacem reum vel absolvat, vel condemnet, ac insuper sententiam in bonis ipsius exequatur denegata ipsi ulteriori contradictione. *d. l. 13. §. 3. & ibi Sichard. n. 3. C. d. Iudic.* Si vero lis nondum fuerit contestata, pro intentata actionis qualitate ad missionem in bonorum possessionem devenitur; neque enim iudex hoc casu poterat per ordinarium procedendi ordinem ad sententiam definitivam, multò minus ejus executionem perve-

pervenire, quia litis contestatio non intercesserat, quâ sc. deficiente nec causâ tractari nec sententiâ ferri potest. *tot. tit. extr. ut lit. non contest.* ut proinde necessum planè esset, aliud advenire remedium, quo rei latitantes & iudicium fugientes cogi possent, missionem sc. in possessionem ipsius rei bonorum *Nov. 13. c. 4. §. 1.* quæ contingit vel primo iudicis decreto, vel secundo.

XXXIII. Primum decretum est iussus iudicis, quo ob contumaciam rei, actor in possessionem bonorum, præ vâ cognitione, custodia causâ mittitur, ut ea pignoris loco detineat, donec reus veniat responsurus. *specul. tit. d. prim. decret. §. Dicitur ergo. Vvesemb. in π. n. 6. d. damn. infect. Vult. lib. 2. Iurisp. Rom. c. 30. n. 10. Harpr. d. l. §. 210. Rosb. tit. 31. n. 1. & seqq. Vmm. disp. 6. §. 4.* Et quidem si realis actio fuit proposita, in rem petitam mittendus erit actor. *l. 7. §. 17. ff. quib. ex caus. in poss. eat. c. fin. v. in alius vero. extr. ut lit. non cont.* non in omnia bona, absurdum namque esset in plus aliquem mitti, quam erat petitum. *Vvesemb. d. l.* Sin verò personali actione sit actum, creditor in possessionem bonorum, pro modo & mensurâ debiti declarati, seu quantitatis petite mittitur, hoc tamen ordine servato, ut prius in mobilia, post immobilia, & denique jura & actiones missio fiat. *l. 1. c. d. prat. pign. d. c. fin. extr. ut lit. non. cont. Post. Hoff. Ordn. d. tit. §. Ingleichen. Specul. d. tit. §. restat. n. 1. Harpr. d. l. §. 222. Vmm. d. disp. 6. §. 4. n. 18.* Aboletur verò iterum hoc decretum, si ante lapsum anni contumax compareat, præstetq; cautionem iudicio sisti & actori expensas restituat. *auth. & qui jurat. c. d. bon. auth. jud. possid. l. 8. §. 3. c. d. præscript. 30. ann. Pompr. H. Ordn. d. tit. §. Im Fall danti. Vvesemb. d. l. Vult. d. l. Harpr. d. l. §. 229. Rosb. d. tit. n. 20.* Quod si porro in contumaciâ absens perseveraverit, tum demùm ne videlicet evidens latitantis debitoris dolus impunitus relinquatur, & creditoribus noceat, instante actore, causâ tamen contumaciæ probè excusâ *l. 4. §. 4. l. 15. §. 21. d. damn. infect.* ad secundi decreti interpositionem iudex procedit. *l. 7. §. 1. & 2. ff. quib. ex caus. in poss. eat. Vvesemb. in π. eod. n. 6.*

XXXIV. Est autem secundum decretum alterum Magistratus iussum, quo ob contumaciam aut moram absentis debitoris, eum; qui ad rem detinendam ex primo decreto in possessionem missus fuerat, post lapsum anni, causâ cognitâ, verum possessorem decernit, vel
B etiam

etiam dominum esse jubet. *c. 1. extr. d. eo. qui mitt. in poss. caus. rei
serv. spec. tit. d. secund. decret. §. 1. Vvesemb. π. d. damn. infect. n. 6.
Vult. d. l. Harpr. d. l. §. 234. Rosb. tit. 32. n. 1.* Requiritur autem in
hujus decreti interpositione, ex parte quidem actoris, ut petat se ve-
rum possessorem aut dominum pronunciari atque constitui, reumq;
ad id ex integro citari; ex parte rei, ut quamvis tēr vel semel per-
emptorie sit citatus, nihilominus in contumaciā perseveret; ex par-
te judicis autem, ut antequam aliquid decernat, prius cognoscat, an
fortē reus reipubl. causā absit, aliudvè legitimum impedimentum
habeat, quo absentiam possit excusare. Quæ omnia ubi expedita
sunt, actor interposito hoc decreto verus possessor efficitur fructusq;
lucratur, ita ut tandem potestas quoque distrahendi ei concedatur.
*Specul. tit. alleg. §. nunc dicamus. n. 1. & seqq. Marant. tit. d. Con-
tum. n. 12. Harpr. d. l. §. 235. & seqq. Rosb. d. tit. n. 6. & seqq.* Tali
immissione de jure quidem communi punitur contumacia rei, quan-
dō videlicet lis, uti subanteā dictum, non est contestata; Vigore ta-
men Ordinat. Cam. petere potest actor, si displicuerit hoc remedi-
um, ut lis in contumaciam pro contestatā habeatur, & sic ulterior in
causā fiat progressus, donec per definitivam universo negotio finis
imponatur. *Ordinat. Cam. part. 3. tit. 43. §. Wo aber. Mynsing. Cent.
4. Observ. 66.*

XXXV. Atque hæc de eō casu, si litigantes non compareant,
& quomodo tum eorum contumacia puniatur; Si igitur compareant,
quid porrò agendum? Offerendus est reo libellus (nisi, ut plerum-
que fit, judex sub initium processus unā cum citatione eum transmi-
serit) quò sc. deliberet secum, utrum cedere, an contendere velit,
atque si contendendum putet, veniat instructus ad agendum, co-
gnitā actione, quā convenitur. *l. 1. ff. d. edend. auth. offeratur. C.
d. lit. Cont.*

XXXVI. Est autem libellus brevis ac perspicua verborum
concepō intentionem actoris tam judici quam reo demonstrans.
*Schneidvv. ad §. omnium. 1. Inst. d. action. n. 98. Termin. c. 20. n. 1.
Meyer Coll. Arg. §. 14. d. Edend. Rosb. tit. 33. n. 1. Umm. d. disp. 6. §.
3. Bachov. disp. 1. d. action. §. 36.* Atque à forinā accidentalī in sim-
plicem vel articulatum, à fine in civilem vel criminalem dividi pot-
est. *Umm. d. l.* Simplex est, qui summam, unico orationis con-
textu

textu actoris petitionem complectitur; Articulus qui per breves assertiones seu articulos, ad circumstantias facti & causæ accommodatos actoris intentionem exhibet. *Schotan. Exam. Jurid. p. m. 123.* Civilis, qui in civili, Criminalis, qui in criminali actione proponitur & alias libellus accusationis vocatur. *Rosb. d. l. n. 2. & seqq. Harpr. disp. 2. §. 6.*

XXXVII. Quisque autem libellus secundum stylum & consuetudinem cuiusque loci est efformandus. *argm. l. 2. C. quemad. test. ap. Vvesemb. π. ff. d. Edend. n. 7.* In genere id requiritur, ut in exordio iudex reverentèr compelletur, litigantes rectè nominentur; deinde in propositione ac narratione, quicquid petitur rectè exprimat, causaq; agendi valida subjiciatur, *argm. l. 35. in fin. ff. d. Jud. c. fin. extr. d. libel. oblat.* postremò omnium apta ac intentatæ actioni accommodata conclusio subnectatur, neque enim iudex officium suum nisi postulantibus impartit. *argm. l. 4. §. 8. ff. d. damn. infect. imò fatuus iudex, si id adjudicet, quod petitum non fuit. l. fin. C. de fideicom. libert.* Quin & tota vis libelli in conclusione consistit. *Gail. 1. Odserv. 61. n. 14.* Non enim attenditur, quid, quale, & quantum narretur, sed qualiter & quantum ex narratis concludatur. *Schurff. Cent. 1. Consil. 81. n. 11. & Cent. 2. Consil. 40. n. 4. cum seqq. Schneidvv. ad d. §. omnium. n. 117. Termin. c. 21. n. 4. Rosb. d. l. n. 31. & seqq.* Proinde si inepta sit conclusio, sive narratio sit apta, sive non, nullius momenti est libellus. Sin verò narratio sit inepta, vaga ac incerta, conclusio verò apta, valet libellus, hæc enim ampliat, exponit, ac restringit narrata, & declarat, quomodo præcedentia sint intelligenda. *Schneidvv. d. l. Vult. l. 2. Jurisp. Rom. c. 29. n. 10. & seqq.*

XXXVIII. Contingit verò nonnunquam, ut oblato receptoq; libello, reus non statim cogatur respondere, idq; vel ratione feriarum intercedentium, vel impetratæ dilationis.

XXXIX. Feriæ sunt tales dies, quibus jus non dicitur, nec sui copiam Magistratus facit. *l. 5. ff. d. fer.* Suntq; vel solemnes seu Ordinariæ, vel minùs Solemnes, quæ & Extraordinariæ & Repenti-næ dicuntur.

XL. Solemnes constitutæ sunt, vel ob cultum divinum quæ & sacra dicuntur, uti sunt dies dominici. *l. fin. §. 1. C. d. fer.* festa tam mobilia quam immobilia. *l. 2. & 7. C. d. tit. c. fin. extr. eod.* tempus quadra-

quadragesimale, quæ causas criminales. *l. 6. C. d. tit.* vel ob utilitatem hominum, quæ & profanæ appellantur, uti sunt tempora messium & vindemiarum. *l. 1. ff. h. t.*

XL I. Non Solemnes seu Repentinæ, quæ casu ita ferente indicuntur, nullâ certâ lege aut tempore ordinario conclusæ. *Vult. d. l. 2. f. R. c. 30.* e.g. ob res prosperè gestas, adventum, inaugurationem, nuptias, funus Principis, hostilitatem, seditionem, luem publicam. *l. 26. §. 7. ff. ex quib. caus. major. Specul. tit. d. fer. §. feriarum. n. 3. VVesemb. n. ff. n. 3. d. fer.* Potestatem autem indicendi ferias solus Princeps habet, *argm. l. 4. C. h. t.* indictas autem quilibet iudex pro usu & iustâ ratione potest moderari, & aut citius aut tardius, prout usus fert, indicare, exceptis tamen sacris. *l. 4. ff. h. t. junct. l. 7. in pr. ff. d. Offic. proconsul. Specul. d. §. feriarum. n. 4. VVesemb. d. l. n. 4. Rosb. tit. 38. n. 8.*

XL II. Non tamen indistinctè omnia feriatis diebus agere prohibemur, possunt namque opera misericordiæ exerceri, quæque tam pietas quam necessitas fieri svaedet. *l. 3. C. h. t. argm. c. nunquam. 33. dist. 5. d. Consecrat. c. fin. extr. d. Iudic. c. cum ad monasterium. §. in refectorio extr. d. stat. monach.* item quæ peragi reipubl. interest, uti sunt: investigatio latronum, custodia ac disciplina militaris, vigilia. *l. 9. ff. h. t.* quæque pertinent ad annonam publicam, quâ nunquam carere possumus. *l. 5. §. 1. C. h. t.* In eo namque venia numinis est speranda, per quod multorum salus ac incolumitas procuratur. *l. 10. C. h. t.* Sic licitè etiam fiunt, quæ pertinent ad cultus divini ipsarumq; feriarum tuitionem, litiumq; sublationem. *l. fin. C. h. t.* Atque hæc omnia tam sacris quàm profanis feriis peracta valent. *argm. d. l. 10. C. h. t.* In profanis præterea omnia fieri possunt, in quibus dilatio actionem est peremptura. *l. 1. §. 2. l. 3. ff. h. t.* item dari tutores & curatores, iiq; officii sui admoneri, excusationes ab iis allegari, curator bonorum dari, alimenta constitui &c. *l. 2. l. 3. ff. h. t.*

XL III. Extra hos casus, qui legibus speciatim excipiuntur, iudicium die feriatâ agitatum nullius est momenti & sententia lata ipso jure est nulla, adeo ut appellationem intervenire necesse non sit. *l. 1. §. 1. ff. h. t. Gail. 1. Obs. 53. n. 8.*

XL IV. An autem feriis ipsi litigantes renunciare possunt? Et dicendum breviter, quod feriis in honorem DEI constitutis renunciare

ciare haud queant, eò quod hæ cultum divinum; non partium favo-
rem concernant; Idem in feriis repentinis, quæ similiter publicam
magis, quam privatorum utilitatem spectant, publica autem priva-
torum conventionibus non posse mutari indubitati juris est. *l. 38.*
ff. d. pact. l. 8. §. fin. C. d. repud. c. si diligenti. extr. d. for. comp.
Sed iis feriis, quæ propter commodum hominum introductæ sunt,
uti sunt messum & vindemiarum tempora, rectè renunciatur. *l. i. pr.*
& §. i. ff. d. fer. c. fin. extr. d. fer. argm. c. ad apostolicam. 16. extr.
d. regular. & transeunt ad religion. Specul. d. tit. §. Nunc videamus.
in pr. Gail. d. l. n. 16. Rosb. d. l. n. 17.

XLV. Feriis affinis est dilatio, quam cum quis impetravit, æ-
què impunè eà durante petitis adversarii non respondet. Differre
autem dicitur litem, qui actum iudicii certo die expediendum in ali-
um diem ulteriorem rejicit. *l. 27. l. 33. ff. d. recept. arbitr. VVesemb.*
π. ff. d. fer. n. 9. Hinc dilatio describi potest, quod sit assignatio cer-
ti termini, quo actus quidam judicialis peragendus est, cum justo
temporis intervallo facta. *argm. tot. tit. extr. d. dilat. c. 4. extr. d.*
Except. VVesemb. π. C. n. 1. d. dilat. Rosb. tit. 37. n. 2.

XLVI. Distingvi possunt dilaciones in Conventionales, de
quibus inter partes convenit, & Non Conventionales, de quibus
non convenit. Atque hæ vel dantur à lege, possuntq; dici legiti-
mæ, quando nimirum lex ipsa certum terminum definit, uti sunt di-
laciones citatoriæ. *l. 69. cum seqq. ff. d. Jud. deliberatoriæ. auth. offe-*
ratur. C. d. lit. Cont. probatoriæ. l. 1. C. d. dilat. appellationis inter-
ponendæ. auth. hodiè & l. 24. C. d. appell. executionis l. fin. C. d. u-
sur. reijud. vel etiam à iudice conceduntur, quando se iudex ex iustâ
ratione vel moderatur tempus à lege præscriptum, d. l. 1. C. d. dilat.
aut ipse certum tempus præfigit, cum lex nec terminum à quo, nec ad
quem proposuit. argm. l. 8. in pr. ff. qui satisd. cog.

XLVII. Dantur autem dilaciones de Jure civili, in causis ci-
vilibus & pecuniariis regulariter tantum una, in criminalibus verò
accusatori duæ, reo tres. *l. fin. ff. d. fer.* Sed hodiè juxta observanti-
am cujuslibet curiæ, hæc omnia fermè pro arbitrariis habentur, &
juxta usitatum in quolibet loco stylum proceditur. *Rosb. d. tit. n. 9.*
ita ut etiam secunda & tertia concedatur (cum causæ tamen cogni-
tione, ne causa plus æquo protrahatur *l. 7. ff. d. fer.*) nonnunquam &

quarta, sed non nisi eum solennitate judiciali, ut sc. petens juret, se non malitiosè & dolosè hanc dilationem exposcere. *Gail. 1. Obserr. 91. n. 4. & 5. vid. Pomm. HoffG. Ordn. tit. von Zeit der Verwetsung.*

XLVIII. Post lapsum feriarum, aut effluxà vel etiam non impetratà dilatione iterum reviviscit processus, cogiturq; reus propositæ actoris petitioni respondere, id quod plerumque, si potest, facit excipiendo. Dicta est Exceptio qs. quædam actionis exclusio, quæ opponi solet ad repellendum & excludendum id, quod in intentionem condemnationemvè (i. e. libelli conclusionem) deductum est. *Vvesemb. π. n. 3. d. Except. Harpr. d. disp. 2. §. 118.* Et quamvis plures sint Exceptionum divisiones, de quibus Dd. majoris tamen momenti est illa, quâ distingvuntur in Dilatorias seu temporales & peremptorias seu perpetuas. *§. 8. Inst. h. t.*

XLIX. Dilatoriæ seu temporales sunt, quæ ad tempus actionem differunt. *§. 10. Inst. h. t.* & competunt nobis vel respectu Judicis & judicii, v. g. si locus judicii non est tutus, vel si judex est incompetens, infamis, suspectus (periculosum namque est coram suspecto iudice litigare. *c. cum inter. 5. extr. d. Except.*) aut quoquo modo inhabilis. *Termin. c. 203. n. 3.* vel respectu litigantium, puta, quia actor est pupillus, infans, vultq; agere sine tutoris autoritate, aut reus fortè est parens patronusvè actoris & sine veniâ vocatus, aut procurator destituitur mandato. *Term. d. l. n. 6. & seq.* vel respectu causæ quando sc. in ipsâ causâ aliquid latet, quod svadet dilationem, uti est Exceptio pacti conventi, ne intra certum tempus petatur, plus petitionis &c. *d. §. 10. Inst. h. t. Specul. tit. d. Except. §. Exceptio-num. n. 5. & 6.* Atque hæ Exceptiones omnes unâ vice, ne lites nimium protelentur, ante litem contestatam (nisi fortè postea demùm competere ceperint) debent proponi. *c. pastoralis. extr. d. Except.* Nostri moribus debet insuper in eventum lis contestari. *Pomm. HoffG. Ordn. tit. von dem Beslagten.*

L. Peremptoriæ seu perpetuæ Exceptiones sunt, quæ semper agentibus obstant, & ipsam actionem, quâ agitur, perimunt seu elidunt. *§. 9. Inst. h. t.* quales sunt Exceptio doli, metus, pacti de non petendo, Macedoniani, Vellejani, &c. Atque hæ omnes post litem demùm contestatam opponuntur. *l. 9. C. h. t. c. 1. d. lit. cont. in 6. Specul.*

Specul. d. tit. §. dicto. n. 2. exceptis nonnullis, quæ ideò privilegia-
tæ dicuntur, quod litis contestationem impediunt, ex quarum sc. op-
positione manifestum fit, aut actionem non competere, aut sublatam
atque peremptam jam esse, quales sunt Except. Rei judicatæ, transa-
ctionis, Jurisjurandi, solutionis &c. *d. c. 1. d. lit. cont. in 6. Vvesemb.
π. n. 7. d. Except.* Debent autem hæ Exceptiones, ad eum effectum,
ut litis ingressum impediunt, statim probari, aliàs si probatio tam ci-
tò ac facili fieri nequit, lis contestanda erit; ita tamen, ut alleganti
jus suum etiam post fundatam actoris intentionem salvum remaneat,
quæ reservatio id operatur, ut si lite contestatâ probatæ fuerint post-
modum allegantis exceptiones, processus reddatur retrò nullus, qs.
nulla hæctenus actori actio competiisset. *Schneidvv. ad tit. Inst. d.
Except. n. 10.*

LI. Quemadmodum igitur propositam actionem excludit ex-
ceptio, sic rursus exceptionem perimit replicatio, quæ nihil aliud est,
quam exceptionis à parte agentis oppugnatio. *l. 2. §. 1. l. 22. §. 1. ff. d.
Except.* Hanc iterum à parte rei duplicatio, eam rursus à parte a-
gentis triplicatio excipit, cui porrò à reo quadruplicatio objicitur,
ac sic deinceps multiplicantur nomina, dum aut reus aut actor quid-
quam opponit. Infinitatis tamen vitandæ gratiâ, solet officio judi-
cis allegationibus certus modus imponi, nempe ut duabus vel tribus
scripturis, prout sc. negotii qualitas exigere videtur, exhibitis, utra-
que pars in causâ concludat. *auth. jubemus. C. d. Jud. Harpr. d. disp.
2. §. 239. Rosb. tit. 44. n. 3.*

LII. Cum verò nulla objecta est exceptio & jussus reus litem
contestari, antequam alea principalis judicii subeat, solet utrinque
à litigantibus cautio interponi. Est autem cautio talis actus, quo
aliquem de iis, quæ occasione judicii in dubium vocantur, reddimus
securum, quod facimus vel fidejussoribus constitutis, vel pignoribus
datis, vel interpositâ promissione tam nudâ quam juratoriâ ratione
qualitatis quarumcunque personarum. *§. 2. Inst. d. satudat. Rosb. tit.
45. n. 2. Vmm. disp. 9. §. 1.*

LIII. Sunt autem præcipuè hujusmodi cautionum species:
Judicio sisti, rem ratam haberi, & judicatum solvi. Judicio sisti
cautio est ea, quâ cavetur de judicio non subterfugiendo, sed in eo
permanendo, donec lis finem sortiatur. Rem ratam haberi, vel de
rato

rato est, quâ is qui actionem vel defensionem suscipit, cavet, eum, cujus nomine eam suscipit, & de cujus mandato non constat, ratam habiturum litem, & omne quod per eum fuerit gestum. Judicatum solvi cautio unâ appellatione tres clausulas continet, de judicato sc. solvendo, de re defendendâ & de dolo malo. *Vult. d. l. 2. c. 30. Corvin. in Enchirid. tit. d. satisdat.*

LIV. Præstantur verò hæ cautiones modò ab actore, modò à reo eorumq; procuratoribus ac defensoribus. Et quidem actor cavet, se in judicio ad finem usque litis permanurum, si fortè fuerit reconventus, debito modo responsurum, & si in causâ succubuerit, omne in quod fuerit condemnatus, uti & damna ac litis expensas reo persolutorum. *vid. Pommi. HoffG. Ordn. tit. d. Caut. Judic. fist. & Jud. solv. §. hat aber der Kläger.* Reus econtrâ licet olim judicatum solvi satisdare cogebatur, hodiè tantum judicio fisti seu de lite prosequendâ cavet. §. 2. *Instit. d. satisdat.* Actoris procurator mandato destitutus cavet de rato durante adusque litis contestationem hac cautione (post eam namque mandatum præcisè requiritur, nisi sit talis persona, quæ sine mandato in judicio versari possit) si v. de mandato ejus constet vel ipse etiam in judicio præsens sit actor, à cautione hac immunis erit. *Vult. d. l. n. 23. & seqq. Harpr. d. l. §. 95.* Rei procurator, nisi eum principalis in mandato ab onere satisfactionis liberaverit cautionem de judicato solvendo (etiamsi sub jurisdictione ejusdem judicis bona immobilia possideat) præstabit, quod sc. reum legitimo modo defendere, nihil dolo malo agere & tandem id, in quod fuerit condemnatus, actori persolvere velit. *Pommi. HoffG. Ordn. d. tit. §. des Beklagten.*

L V. Et quoniam eam ob causam hæ cautiones exiguntur, ut litigantium doli & fraudulentæ machinationes quodammodo amputentur ac stabiliantur nonnihil sententiarum executiones. *Nov. 12. c. 2. in pr.* Hinc satisfactionibus onerandi non sunt ii (1.) qui in loco judicii bona immobilia possident *l. 15. ff. qui satisd. cog.* nisi fortè plurimum æris alieni iis inhæreat. *P. HoffG. Ordn. d. tit. in pr.* (2.) qui fidejussores invenire vel pignora dare idoneè non possunt, quod tamen sacramento probent necesse est. *d. Nov. 12. c. 2. in pr.* quo casu juratoricè cavere debent. *HoffG. Ordn. d. tit. §. hat aber.* (3.) personæ honestioris vitæ, & in eminentiori dignitate constitutæ. *l. 17. C. d. dignitat. HoffG. Ordn. d. tit. in fin.*

LVI

LVI. Accidit & persæpè, ut reus conventus mutuam adversus actorem instituat actionem, quæ reconventio vocatur, estq; petitio, quâ reus convenientem actorem, apud eundem judicem invicem convenit. *Vult. d. l. Harpr. d. l. ß. 43. Rosb. tit. 46. in pr. Umm. disp. 10. ß. 1. adeoq; permilla, ut nec actor reluctari ullo modo possit, quò minus rei ferat reconventionem; æquum namque est, ut cujus in agendo quis observat arbitrium, eundem etiam contra se judicem in eodem negotio habere non dedignetur. l. 14. C. d. sent. & interloc. d. 1. §. cujus in agendo. c. 3. q. 8.* Nec refert, utrum hæc reconventio ex principali conventionis negotio oriatur, nec nò; utrum pertineat aliquo modo ad ipsam conventionem, an verò planè ab illâ sit separata ac aliena. *P. HoffG. tit. d. Recony.* Sicuti nec refert, an reconveniens subjectus sit jurisdictioni judicis, coram quo reconvenitur nec ne, nullam enim h. l. Incompetentiæ exceptionem opponere ipsi licet, *d. l. 14. HoffG. d. d. tit.*

LVII. Omnino autem vel ante litem contestatam, vel etiam in continenti reconventio est proponenda, aliàs pari passu & simultaneo processu cum ipsâ causâ conventionis expediri nequit. *Marant. part. 4. disp. 6. n. 7. Rosb. d. tit. n. 17.* Constitutum namque est, quod utraque tam conventio quam reconventio uno processu vicissim debeat expediri; ita ut lite primum super conventionem actoris, mox super rei reconventionem contestatâ, Judex utriusque litigatoris jura & rationes vicissim audiat, ita tamen ut prior actus fiat super conventionem, posterior super reconventionem, & ita progrediendo utrumque negotium eâdem sententiâ dirimat; idq; si de utroque pariter liqueat & res sit manifesta, secus si de uno constet, de altero non item, hoc enim casu judex saltem de illo, de quo liquet, pronunciare debet. *Marant. d. l. & n. 10. cum seq. Vult. d. l. Harpr. d. l. ß. 50. & seqq. Rosb. d. l.* Tenetur autem omnino actor reconventioni respondere, nisi velit ipse cum suâ actione à limine judicii repelli, omnemq; reum ulterius conveniendi facultatem sibi præcidi. *HoffG. Ordn. d. l. Marant. d. l.*

LVIII. Hucusque de iis, quæ aliàs præparatoria judiciorum à Dd. solent appellari, eò quod pleraque talia sint, quæ ante litem contestatam debeant proponi. *Vmm. disp. 12. in pr.* nunc porrò ad ipsa causæ merita & principalis negotii disceptationem, cujus fundamen-

C um

tum per litis Contestationem ritè ponitur. *Marant. part. 6. tit. d. lit. Cont. n. 1.* properabimus. Est autem litis Contestatio nihil aliud, quam controversiæ apud competentem judicem facta narratio & ad eam à parte rei secuta contradictio. *l. 14. §. 1. C. d. Judic. c. un. extr. h. t. c. cum causam. extr. d. Furam. calum. Specul. tit. d. lit. Cont. §. 1. Marant d. l. n. 3. & 4. Vult. lib. 2. §. R. c. 31. Vvesemb. w. C. n. 1. & 2. h. t. Termin. c. 208. n. 2. Meyer Coll. Arg. §. 156. ff. d. Judic. Rosb. tit. 49. n. 3. Vmm. d. disp. 12. §. 1.* Et hæc in tantum est necessaria, ut ejus ommissio sententiam reddat ipso jure nullam. *c. un. extr. d. lit. Cont. Marant. d. l. n. 1.* Hanc duplicem nonnulli faciunt, affirmativam & negativam; sed reverà & in effectu non est alia quam negativa; Semper enim negatio sive contradictio requiritur, unâ scilicet parte controversiam affirmante, alterâ negante & contradicente. *Meyer Coll. Arg. d. l. §. 161. Vmm. d. disp. 12. §. 1. n. 3. Schotan. Exam. Jurid. p. m. 234.*

LIX. Post litem contestatam exigitur juramentum calumniæ quod tam ab actore, quam à reo, eorumve procuratoribus super causâ bonâ fide susceptâ & deinceps prosequendâ præstatur. *l. 2. in pr. C. h. t. c. cum causam. 6. in fin. extr. h. t. Specul. tit. d. Furam. calumny. §. 1. in pr. Vmm. d. l. §. 7.* jurant nimirum litigantes, se non calumniandi animo in lite versari, sed quod bonam omninò causam sese habere putent, item quod in totâ lite nec ipsi ullam falsam probationem sint allegaturi, nec aliam ab adversario petaturi, nisi quam ad veritatis demonstrationem facere putarint, item quod nihil quidquam ad protrahendam causam sint proposituri, & tandem quod impetrandi favoris gratiâ nihil vel judici vel aliis personis, quam quibus lex permittit, vel dederint, vel quacunque ratione fieri possit, promiserint. *auth. hoc sacramentum. auth. in isto. auth. principales. C. h. tit. Vvesemb. n. C. n. 7. h. t. Vult. lib. 2. §. R. c. 31. Harpr. disp. 3. §. 37.*

LX. Præstatur autem hoc juramentum exigente vel parte adversâ. *argm. l. 5. §. 14. ff. d. nov. op. nunc. vel ipso judice. l. 2. §. 4. C. h. t.* etiam post causæ conclusionem deferente. *P. Hoff. D. h. t. §. In Fall.* neque ullis remittitur personis, nisi fortè inter parentes & liberos nepotesve lis extiterit, hi enim non jurant de calumniâ. *l. 7. §. 3. ff. d. Obseq. par. vel patr. præst.* vel etiam sint tales personæ, quas sexus verecundia vel morbus impedit, quo minus in judicium

judicium veniant, hæc namque domi suæ jurant adversario vel procuratore ejus præsentem. *l. 15. ff. d. Jurejurand. l. 2. §. 1. C. h. t.* Procuratores quoque, non tantum in animam Domini, (quod plerumque fit *argm. c. fin. h. t. in 6.*) sed etiam propriam jurare tenentur. *Marrant. part. 6. tit. d. Juram. n. 8. Gail. 1. Observ. 88. n. 1.* excepto tamen procuratore fisci. *Gail. 1. Observ. 90. n. 4. & 5. & eo, qui ex officio datus est. Gail. d. Observ. 88. n. 3. & seq. Rosb. tit. 50. n. 6.*

LXI. In omnibus quoque causis juramentum hoc præstandum est, tam civilibus, sive magnis sive parvis. *Vvesemb. n. C. n. 7. h. t.* quam criminalibus. *specul. d. tit. §. sequitur in pr. & num. seqq.* maxime quidem ab accusatore, quia hodie inscriptiones in crimina amplius in usu non sunt; à reo autem ita facile exigendum non est, ne sc. perjuriis detur occasio, & quis sui ipsius accusator, propriiq; sanguinis, quem alias qualiter qualiter redimere licet. *l. 1. ff. d. bon. eor. qui ant. sent. proditor esse cogatur.*

LXII. Poena jurare nolentis, & quidem actoris est, ut absolute reo, cum actione suâ à judicio repellatur refusus reo expensis. Rei, quod habeatur pro confesso & similiter actori in expensas condemnatur. *l. 2. §. 6. & 7. C. h. t. c. fin. in fin. exrr. h. t. P. H. G. Ord. d. tit. §. Cussert sich. specul. d. tit. §. superest. in pr.* Procuratores verò si juramentum hoc recusaverint, à causæ illius patrocinio omnimodò abstinere necesse habent. *P. H. G. Ord. d. tit. in pr.*

LXIII. Et hoc juramentum calumniæ quamvis generale sit, immediatèq; ad omnes actus totius judicii extendatur, ita ut non necessarium videatur, ulterius juramentum exigere; Nihilominus tamen ad reprimendam litigatorum calumniam, proditum adhuc est speciale quoddam juramentum malitiæ, quod tam ante quam post litem contestatam in quacunque parte judicii officio judicis deferrì potest. *specul. d. tit. §. 1. n. 6. P. Hoff. G. Ord. d. tit. §. Biewol der.* Et poena non jurantis de malitiâ est, quod habeatur pro confesso ratione ejus articuli, super quo hoc juramentum delatum est. *Gail. 1. Observ. 87. n. 2.*

LXIV. Fundamento igitur processûs per litem contestationem jacto, restat ut ad ipsam probationem descendatur. Solet autem vulgò ita institui probatio, ut primùm actor ipsam litem quasi ponat, & ad singulas positiones reus respondeat, ut sc. ex illà rei responsione

colligere possit actor, quid per confessionem agnitum jam sit, & quid sibi adhuc restet probandum. Etenim, cum confessio rei, præsentè adversario in iudicio facta plenissimam ac liquidissimam faciat probationem. *l. 56. ff. d. rejud. l. 1. ff. d. Confess. l. un. C. eod. l. 13. C. d. non num. pecun.* hinc maximè sibi consultum putant actores, si ad eam per positiones suas eliciendam, antè reliquas probationum species primò omnium transeant. *Harpr. d. disp. 3. §. 60. Vmm. disp. 13. in pr.*

LXV. Est autem positio nihil aliud, quam ejus, quod in controversiam deductum est, particularis narratio, ad eliciendam ab adversario veritatem facta. *Specul. tit. d. posit. §. 1. Rosb. tit. n. 2. Vult. lib. 2. §. R. c. 31. n. 21. Vmm. d. l. §. 1.*

LXVI. Hanc distinguunt Dd. in positionem ita in specie dictam, & articulum. Positio in specie dicta, est ea pars intentionis, quæ continet id, super quo ab adversario quis responderi petit, ad eum sc. effectum ut per responsionem & confessionem partis adversæ ponens ab onere probandi releveretur. *Gail. 1. Observ. 79. n. 2.* Articulus verò est pars intentionis continens id, quod quis probare intendit; Et hi eum in finem proponuntur, ut illæ positiones, quæ à parte adversâ negatæ fuerint, per testes & instrumenta probentur, id eòq; & positiones meritò articulos præcedere debent. *Marant. tit. d. posit. n. 1. Gail. d. l. n. 3.* Hæc tamen differentia, maximè in Camera, accuratè ad eò non observatur, sed factâ litis Contestatione & præstito juramento calumniæ, libellus articulatus loco positionum & articulorum exhibetur, vel si statim in ingressu litis libellus articulatus fuit oblatus, post litis Contestationem repetitur, & adversarius ad respondendum urgetur, uti patet ex *Ord. Cam. part. 3. tit. 13. §. Dagegen. Gail. d. l. n. 3. Rosb. d. l. n. 4.*

LXVII. Id omninò in positionibus requiritur, ut sint ad causam pertinentes, & quæ probatæ relevent. *argm. l. 21. C. d. probat. Gail. 1. Observ. 81. n. 1.* Si enim manifestè impertinentes, utique non admittendæ, sed officio judicis rejiciendæ sunt, sicuti nec adversarius ad eas respondere cogendus est. *Vult. d. lib. 2. c. 31. n. 27.* Sed si dubitatio existat an pertinentes sint, nec nò? admittuntur sub clausulâ, quam solent plerumque respondentes. suis responsionibus annexere: *Salvo Jure Impertinentium & non admittendorum;* Hujus clausulæ

clausuræ respectu iudicis is est effectus, ut si postea apparuerit, positiones quibus responsum est, non fuisse admittendas, habeantur omnino pro non admissis, nec super his receptæ testium depositiones factæq; probationes ullius sint momenti; respectu verò respondentis, si post responsum positio impertinens reperiatur, respondens pro non confesso habetur, nec ex illa responsione ullum ipsi generatur præjudicium. *Marant. d. l. n. 23. Gail. 1. Observ. 81. n. 12. & seq. Mynsing. Cent. 2. Observ. 56. Vult. d. l. n. 29. Rosb. d. tit. n. 31. & seqq.* Providus ergo hac in parte iudex esse debet, & quoad fieri potest, diligenter & accuratè positiones examinare, utrum omnes sint pertinentes & relevantes, an saltèm aliqui, ut ita resectis alienis ac impertinentibus, illi solum admittantur, quæ ad causam faciunt, ne sc. inutilibus probationibus & sumptibus partes graventur. *Gail. d. l. n. 14. Mynsing. Cent. 2. Observ. 90.*

LXVIII. Observandum quoque ut tales formentur positiones, quæ non sint obscuræ, captiosæ, contrariæ, sed simplices, & quidem positivè, non interrogativè formatae. *Rosb. d. l. n. 26. & seqq. Vmm. d. disp. 13. §. 3.* Item ut de facto aliquo, non verò de Jure sint conceptæ; jus enim per se certum est, nec ullà opus habet probatione. *l. 2. ff. d. jur. & fact. ignor. c. sæpè 44. extr. de appellat.* quibus requisitis tandem accedit, ut mediante juramento Dandorum exhibeantur h. e. jurare debet exhibens non calumniosè, sed juris sui tuendi gratià illas proponere. *Ordinat. Cam. part. 1. tit. 69. & seq. Harpr. d. disp. 3. §. 65. Vmm. d. disp. 13. §. 3. n. 14.*

LXIX. Positionibus hoc modo exhibitis, & à Judice admissis, contingit sæpè, ut reus contra hasce positiones, exceptionibus sive defensionalibus, peremptorialibus & articulis elisivis utatur, quos omnes unà cum responsionibus suis ad propositas positiones offerre debet, ut ita responsione tam ad positionales, quam defensionales utrinque datà, iudex communem iis terminum præfigat, intra quem, quæ hinc inde ab utraque parte negata fuere, testimoniis legaliter productis probare queant. Sin autem reus oblationem defensionalium eousque distulerit, donec testium depositiones super articulis actoris cognitæ habuerit, non amplius ad probandas testibus defensionales admittitur. *Ord. Cam. part. 3. tit. 15. in pr. & §. Zum dritten. P. HoffB. Ordn. tit. d. defension. & Except. perempt. in pr.*

LXX. Quod si verò nullâ defensione contra actoris positiones munitus sit reus, sub jurisjurandi Respondendorum religione, quod sc. absque ullâ fraudulentâ machinatione in respondendo ad omnes articulos semper veritatis rationem habere velit, simpliciter, purè ac perspicuè per verbum credo vel non credo, intra terminum à Judice assignatum respondere tenetur. *Ord. Cam. part. 1. tit. 71. & seq. & part. 3. tit. 15. §. Zum andern. Gail. 1. Observ. 82. n. 1. & seqq. Mynsing. Cent. 1. Observ. 86.* Si verò talis occurrat positio, quæ plura & diversa in se continet, quamque in uno loco veram in altero falsam esse perspicit, distinguendo, quid credat, quidvè non credat, respondere jure compellitur. *Ord. Cam. d. §. Zum andern. P. Hoffb. Ordn. d. tit. §. Damit auch. Gail. d. l. n. 15. Mynsing. Cent. 2. Observ. 55.*

LXXI. Et ut eò rectiùs omnes disputationum ad causarum merita parum persæpè spectantium occasiones amputarentur, Ordinatio Cam. constitutum est ut sola tantum positio juris extra responsionem esse debeat, ad reliquas autem omnes, quæ aliàs ex communi Dd. sententiâ irresponsales dicuntur, puta, multiplices, generales, negativas, obscuras, dubias, impossibiles &c. *de quib. specul. tit. d. posit. §. 7. per tot. responderi necesse sit. Ordin. Cam. part. 3. tit. 15. §. Zum andern. Gail. d. Observ. 82. n. 12. Rosb. d. tit. n. 33.* Et idcirco iudex eà in re circumspexit esse debet ne pars præjudiciali aliquâ responsione gravetur. *Gail. d. l.*

LXXII. Si a. ad positiones responsum quidem sit, sed non perspicuè satis & sufficienter, permissum est ponenti contra hujusmodi responsiones excipere *spec. d. tit. §. 9. n. 9.* ita tamèn ut nominatim & expressè defectum responsionis ostendat, & sic absque ulteriori replicatione iudex super defectu interloquatur. *Ord. Cam. d. tit. 15. §. So auch. P. Hb. Ordn. d. tit. §. Were auch. Harpr. d. l. b. 90.*

LXXIII. Sed si respondere iustus in termino præfixo omnino non respondeat, sanè si justam causam non datæ responsionis allegare nequiverit, sed contumaciter responsionem detrectarit, præcedente monitorio, & ad instantiam actoris, in pœnam contumacis positiones & articuli pro confessis acceptantur, & ulterius adversus eum, tanquam verè confessum, ad definitivam proceditur. *text. in c. 2. d. confess. in 6. Ord. Cam. d. tit. §. Begebe sich aber. P. Hb. Ordn. d. tit.*

d. tit. in fin. Gail. 1. Observ. 80. n. 1. & seq. Vult. d. c. 31. n. 44. Harpr. d. l. 8. 87. cum seq. Rosb. tit. 52. n. 21. Vmm. d. l. 8. 5. n. 23.

LXXIV. Sequitur jam de Confessionibus; qualibet namque positio eum in finem proponitur, ut ex responsione ad eam datâ manifestum fiat, quid adversarius verum credat, quidvè non credat, ac propterea sit probandum; quâ ratione fieri aliter non potest, quia simulac positionibus responsum fuerit, statim Confessionis ratio habeatur; aliàs non parùm ineptus fuerit actor, si reus intentionem ipsius jam fuerit confessus, & is nihilominus aliundè fidem ei facere laboret. *Specul. ad rubric. d. Confession.* Tum demum enim id necessum erit, ubi positionem veram non credit; ac proindè confessionum doctrina ipsi probationum materiæ non inconcinne præmittitur. *Vmm. d. l. 8. n. 34.*

LXXV. Confessio igitur facta intelligitur, quando major 25. annis & sanæ mentis homo, in judicio, adversario præsentem, spontè & sciens, contra se, super re litigiosâ, ubi nec natura, nec jus, nec ipsius contentis favor repugnat, aliquid asseverat. *Term. c. 222. n. 1. Rosb. tit. 65. n. 1. Vmm. d. l. 8. 9. & 10.* Estq; Judicialis vel Extrajudicialis, hæc fit apud probos & fide dignos homines extra locum judicii, illa coram iudice. *loc. citat.*

LXXVI. Et licet nullâ detur probatio efficacior, quam propria confessio. *L. 2. C. d. transact.* ut inde probata probatio, item probatio plenissima ac certissima dicatur. *Vmm. d. l. 8. 11. n. 52.* & confessus pro convicto habeatur *l. un. C. d. confess.* necesse tamen est, ut omnia illa requisita in præcedenti descriptione enarrata concurrant; quæ cum brevitatis gratiâ hic omittimus, fusiùs explicata ac limitata *vid. ap. Term. d. c. 222. n. 4. & seq. Harpr. d. disp. 3. 8. 98. & seq. Rosb. d. tit. 65. n. 3. & seq. Vmm. d. l. 8. 9. & seq.* Et talis confessionis effectus est, quod adversarium relevet ab onere probandi, habeatq; vim sententiæ, ita ut in confessum non sint aliæ partes judicis, quam in condemnando, aded ut suâ quodammodò sententiâ damnatus videatur. *l. 25. S. fin. ff. ad leg. Aquil. l. 1. ff. d. Confess. c. præterea. extr. d. transact. c. 2. extr. d. Confess. c. de hoc autem. extr. d. Simon. Boër. decision. 295. n. 11.*

LXXVII. Quod si verò reus in responsionibus suis nullas, vel saltem aliquas positionum confessus fuerit, reliquas autem veras non crediderit,

crediderit, proximum est, ut ad probationis negotium descendatur, ne audire cogantur vulgatum: Non tibi jus sed probatio deest. *l. 30. ff. d. testam. tut.* Hinc cautum imprimis atque attentum decet esse Advocatum causæ circa documenta & probationes, quibus vel intentatam actionem vel oppositam exceptionem probare velit, in eâ namque tota vis causæ consistit, & nemini absque probatione fides adhibetur. *Term. c. 211. n. 1. & seq.*

LXXVIII. Est autem probatio legitima de re controversâ iudici facta demonstratio. *Term. d. l. n. 4. Vvesemb. w. n. 2. d. probat. Rosb. tit. 53. in pr. Vmm. disp. 15. th. 1.* Et dispecitur primò in Artificialem & Inartificialem; Illa est, quæ ex ipsâ causâ per solertiam Advocati eruitur. Hæc quæ extrinsecus, veluti à testibus, tabulis, scripturis &c. ad fidem faciendam assumitur. *Vvesemb. d. l. n. 4. Rosb. d. l. n. 3.* Deindè ab effectu dividitur in plenam & semiplenam; plena est, quæ plenam fidem iudici de re aliqua facit, e. g. duorum testium depositio, Instrumentum publicum aut simile, confessio adversarii in iudicio facta, evidentia facti, quæ ut plurimum per ocularem inspectionem apparet &c. *Vvesemb. d. l. Vmm. d. disp. 15. th. 1. n. 5.* Semiplena, quæ & imperfecta dicitur, est, quæ non tantam iudici fidem facit, cui soli stare possit, sed saltem opinionem quandam inducit, e. g. unius testis dictum, instrumentum privatum, comparatio literarum, confessio extrajudicialis, rationes, fama, & quæ sunt similia. *Vvesemb. d. l. Vmm. d. l. Rosb. tit. 53. n. 6.*

LXXIX. Id sanè in aperto est, ei incumbere probationem, qui allegat, dicit, agit aliquid in iudicio. *l. 2. l. 5. l. 21. ff. d. probat.* Sic enim per rerum naturam comparatum est, ut affirmantis, non verò negantis sit probatio. *l. 23. C. d. probat. c. bonæ memoriæ. 23. extr. d. elect. c. super hoc. extr. d. renunciat. c. quoniam. 11. extr. d. probat.* Sive igitur actor sive reus allegat aliquid, aut fundet se in aliquo facto, quod adversarius negat, illud suæ intentionis fundamentum probare debet. Sic cum plerumpue actor aliquid petat à reo, idcirco etiam regularitèr ei onus probandi incumbere dicitur. *l. 4. C. d. edend. c. cum ecclesia. in fin. extr. d. caus. poss. & propr. c. fin. extr. d. iurejurand. c. un. §. cum enim juris. extr. ut eccles. benefic. fin. deminur. confer.* Econtrà verò cum reus opponit exceptionem, in quâ ad sui defensionem aliquid allegat, non minùs hic suæ exceptionis, quam actor

actor suæ intentionis fundamentum probare tenetur, excipiendo enim fit actor. *l. 19. ff. d. probat. l. 1. ff. d. except. Schurff. Cent. 1. Consil. 79. n. 3. & Consil. 96. n. 14. Cent. 2. Consil. 29. n. 9. & seqq. Vvesemb. d. l. n. 6. Rosb. d. tit. n. 10. & seqq.*

LXXX. Proinde Ordo processûs requirit, ut certus à iudice terminus præfigatur, intra quem actor positiones à reo negatas quæ jam in locum articulorum probandorum succedunt, probare debet. *Specul. ad rubr. d. probat. n. 1.* Fit autem potissimum probatio vel per testes vel per Instrumenta. Ac primum de eâ dicemus, quæ fit per testes.

LXXXI. In hac ut legitimè procedatur, actor statim post designatum terminum probatorium, articulos super quibus testes debent examinari, reo transmittere cogitur, qui sua super eorum circumstantiis & qualitatibus format interrogatoria, ad quæ non minus deinde quam ad ipsos articulos testibus respondendum est. *Marant. part. 6. tit. d. Interrogat. n. 1. Rosb. tit. 55. n. 1.* Sunt autem Interrogatoria nihil aliud, quam positiones quædam interrogativè conceptæ, quas pars adversa super negotii circumstantiis & testibus contra se productis formavit, ut testes pro eruendâ veritate desuper interrogentur. *c. præsentium. §. testes. d. testib. in 6. Spec. tit. d. teste. §. jam. de Interrogatorio. in pr. Rosb. d. l.* Et in harum confessione prudens ac eruditus Advocatus omnes principalis causæ circumstantias probè examinare ac perpendere debet, curetq; ne super iis proponat interrogatoria, quæ probata magis clienti suo nocere quam prodesse possunt. *Gail. 1. Observ. 95. n. 5. Harpr. disp. 3. §. 158. Rosb. d. l. n. 9.*

LXXXII. Duplicita autem sunt Interrogatoria, Generalia & Specialia; Illa testium personas potissimum respiciunt, ac per ea de integritate, dignitate, fide ac moribus testium disquiritur. Hæc ipsas præsentis controversiæ circumstantias concernunt, ac per illa notitia ac certitudo dictorum testium investigatur. *Harpr. d. l. §. 160. & seq. Rosb. d. l. n. 2.* Ut autem aliquatenus veritas aut falsitas dictorum testium pateat, adversæ parti pars altera copiam interrogatoriorum transmittere non debet. *Specul. loc. all. ne sc. iisdem cognitis, testes, quomodo desuper deponere debeant, instrui possint, imo nec iudici licitum est interrogatoria parti communicare.* *Ma-*

D rant

Marant. d. l. n. 3. Gail. d. l. n. 6. Term. c. 214. n. 8. Harpr. d. l. l. 163. Rosb. d. l. n. 10. Sicuti autem liberum est processi non vitietur, sic etiam non, ita ut per eorum omissionem processus non vitietur, sic etiam Judex vel Commissarius, sicubi opus esse viderit, pro industria sua ac legalitate ea ex officio adungere, quemadmodum & oblata examinare atque superflua & impertinentia refecare potest. *P. H. B. Ordn. tit. von Commissarien. S. Da auch das Gegehtheil. Gail. d. l. n. 9. Vult. d. lib. 2. c. 31. n. 73. Term. d. l. n. 10. Harpr. d. l. l. 164.* Sed si pars interrogatoria produxerit, judex verò testes non interrogaverit, non quidem per hoc totum examen redditur nullum, sed testes etiam post publicationem attestationum super interrogatoriis sunt repetendi, quod itidem super articulo omisso fieri potest. *c. per tuas. extr. d. test. Marant. d. l. n. 4. Schurff. Cent. 2. Consil. 86. n. 2. & Consil. 87. n. 14. Gail. d. l. n. 7. Mynsing. Cent. 1. Observ. 32. Rosb. d. l. n. 2. & seqq.*

LXXXIII. Ad ipsum igitur examinis actum (ad quem adversarius una cum testibus legitime debet citari. *Gail. i. Observ. 102. in pr.*) ubi deventum fuit, antequam testes deponant, necesse est, ut sub jurisjurandi religione affirmant, quod neque odio, neque favore commoti, aut spe lucri adducti, sed solo veritatis amore ad testimonium ferendum accesserint, quodque ad omnia quæ fuerint interrogati, quæque cognita habuerint, bonâ fide & ex sincero pectore sint responsuri. *Ord. Cam. part. 1. tit. 77. P. H. B. Ordn. d. l. Harpr. d. l. l. 167. Rosb. tit. 57.* manifesti namque juris sunt, quod testi injurato, quamvis religiosus ille sit, vel etiam in magnâ dignitate constitutus, in præjudicium alterius nulla fides adhibeatur. *l. 9. C. d. testib. c. quoties. 5. c. fraternitatis. 17. c. nuper. 51. extr. eod. nisi consensu utriusque partis juramentum remissum sit, quo casu testimonia injuratorum testimonium fidem mereri constat. c. tuus. 39. extr. d. testib. Mynsing. Cent. 6. Observ. 32. n. 2. & seqq.* quâ tamen remissione non obstante, judex justâ causâ motus nihilominus testes ad præstandum hoc juramentum cogere potest. *Gail. i. Observ. 101. n. 5. Rosb. d. l. n. 5. Harpr. d. l. l. 173.*

LXXXIV. Præstito juramento uterque litigantium judici vel Commissario testimonium examinationem secundum tenorem Commissarii committit, atque tam partes, quam testes ab Examinatore paulisper

lispèr secedunt. Deindè verò quilibet seorsim rursus accersitur, qui prius juramenti præstiti, itemq; poenæ perjurii diligentèr præmonitus. *c. quinquò 80. c. 11. q. 3. c. 1. extr. d. crim. falsi* tum ad quemlibet articulorum, tum ad quodlibet interrogatoriorum sigillatim summà cum attentione interrogatur; Non enim omnes simul, si plures fuerint, sed seorsim & singularitèr, & secreto in loco examinandi sunt. *P. H. B. Ordn. d. tit. §. Wann solches geschehen. Spec. tit. d. test. §. nunc tractandum. in pr. & n. 3. Term. c. 216. n. 1. Harpr. d. l. 6. 175.* Nam quod palàm omnibus dictum est, nullius momenti habetur testimonium. *Rosb. tit. 58. n. 2.*

LXXXV. Inter examinandum verò Judex vel Commissarius testem accersitum ad quemlibet articulum separatim & quidem perspicuis verbis debet interrogare, cujus depositionis non tantum sententia, sed, quoad fieri potest, ipsa verba, prout dicta & facta sonant, à Notario ritè adhibito sunt annotanda. *Specul. d. l. n. 8.* Atque etiam cautè insuper aget Commissarius, observando inter deponendum testis faciem atque gestus, an etiam constans in sermone, an dubius aliquandò hæreat, an timidus sit, aut fortè alio modo testimonium suum reddat quodammodo suspectum, id omne Notarium summà diligentia ac fide consignare jubebit. *HoffB. Ordn. d. l. Specul. d. §. n. 5. & 6. Harpr. d. l. 6. 176.*

LXXXVI. Singulis testibus ita examinatis silentium injungitur, ne sc. de suis atestationibus ante factam à Judice publicationem quidquam revelet, *Term. d. l. n. 12. Harpr. d. l. 6. 177.* quod si fecerint, judex debito modo in eos animadvertere poterit. *c. si testes. §. qui falsò vel variè c. 4. q. 3. Rosb. d. tit. n. 23.*

LXXXVII. Tandem verò à Notario testium depositiones extendi & emundari oportet, quæ Notarii scriptura vocabulo forensi Rotulus examinis vocatur. Debet autem hæc extensio, quatenus possibile est, in loco statim examinis fieri, quò sc. Commissarii adhuc præsentès extemplo perlegere, obsignare, ac ad judicem committentem transmittere possint. *P. H. B. Ordn. d. tit. §. Wann die Rundschaft. Vulr. d. c. 31. n. 7. 9.*

LXXXVIII. Nonnunquam verò accidit, ut nominentur à producente testes, qui non sunt sub jurisdictione judicis de causà cognoscentis; quo casu ita proceditur: primùm producens articulos

D 2 suos

suos adversario transmittit, petitq; à iudice, ut peremptoriè ad dan-
dum interrogatoria citetur; Quod cum factum, decernuntur à ju-
dice literæ mutui compassus ad magistratum illum cujus jurisdictioni
subsunt testes examinandi, quibus literis rogatur iste magistratus, ut
nominatos testes, quò sc. veritas eò magis in aprico sit, sumptibus
producentis *l. 11. C. d. testib. examinet*, dicta eorum consignet, atque
obsignatum examinis rotulum ad producentis iudicem transmittat.
*P. H. S. Ordn. tit. von Verhörung Außländischer Zeugen. Vult. d.
c. 31. n. 80.*

LXXXIX. Hoc denique notandum, quod licet regularitèr
ante litis contestationem nullà fiat testium productio & examinatio
Gail. 1. Observ. 92. in pr. quia cum in finem testes producuntur, ut
iudici fidem faciant illorum, quæ in iudicium deducta fuere; Non
verò in iudicium deducta dicuntur ea, quæ ante litis contestatio-
nem expediuntur, siquidem iudicium à litis contestatione initium
fortiri dicitur. *Rosb. tit. 59. n. 2.* Quotiescunque tamen periculum
est, ne copiæ probationum subtrahantur nobis, vel per mortem vel
per diuturnam absentiam testis, vel propter alios casus speciales, for-
tè ingruente pestiferà lue, vel quia testis abit in bellum &c. tunc et-
iam testes recipiuntur lite non contestatà, ad perpetuam rei memo-
riam. *c. quoniam. 5. extr. ut lit. non c. significavit. 41. extr. d. testib.
Term. c. 217. n. 2.* Ratio, quia ubi periculum est in morà ibi recedi-
tur à regulis juris communis. *argm. l. 1. ff. d. damn. infect.* *Gail. 1. Ob-
serv. 93. n. 2. & 3.* dum tamen pars adversa antea citetur ad viden-
dum jurare testes & dandum interrogatoria. *P. H. S. Ordn. tit.
Von Zeugnis zu ewiger Gedächtnis. in pr. Gail. 1. Observ. 94. n. 4. & 5.*
Atque huiusmodi testes ad perpetuam sc. rei memoriam, non solum
ab actore, verum etiam à reo produci possunt, non tamen uno eo-
demq; modo. *vid. Gail. 1. Observ. 92. n. 3. & seq. Rosb. tit. 59. n. 3.
& seq.* Remanent autem huiusmodi attestations in loco iudicii,
donec actor suam instituat actionem, litisq; desuper contestatio fiat.
P. H. S. Ordn. d. tit. Mynsing Cent. 4. Observ. 71. n. 5. Et si actor
post hoc examen actionem suam non instituat intra annum, à tem-
pore sc. quo agere potuit, vel etiam iustis ex causis dilationem à ju-
dice impetraverit, universa attestationum vis evanescit ac infirmatur;
præsumitur namque fraudulentèr actor hoc agere, quo sc. lapsu tem-
poris

poris reus exceptiones legitimas contra testes eorumvè dicta habere non possit. *d. c. quoniam. extr. ut lit. non cont. P. H. G. Ordn. d. tit. S. fn. Gail. d. Observ. 92. n. 4. & seq. Rosb. d. tit. n. 5.*

X C. Examine sic ritè ac legalitèr absoluto, ad instantiam partis fit publicatio attestationum, earumq; copia utrique decernitur, quò sc. probationes defensionèsq; suas hinc indè deducere queant. *Rosb. tit. 60. in pr.* Id autem requiritur, ut pars, contra quam testes producti fuère, debito modo ad publicationis actum citetur, quæ etiam communitèr ante publicationem, solet sibi jus excipiendi contra testes & dicta testium reservare, vel etiam de aliis juris beneficiis protestari. *Specul. d. tit. d. test. S. satis utilitèr n. 1. & S. sepè. in pr. Term. c. 218. n. 2. Rosb. d. l. n. 3.* quam protestationem nisi vel ante examen vel ante publicationem interposuerit, postea non auditur. *P. H. G. Ordn. tit. Von Einrede wider die geführte Rundscht. S. Wo das Parth.* Est autem præcipuus publicationis effectus, quod eà semel factà non possint regularitèr testes de integro repeti & examinari. *c. 17. 18. 25. extr. d. testib. propter sc. subornationis timorem. Clem. fn. eod.* Quæ tamen assertio non unam admittit limitationem, quales vid. ap. *Specul. d. S. n. 3. & seqq. Gail. 1. Observ. 105. n. 2. & seqq. Rosb. d. tit. n. 6. & seqq.* præsertim respectu iudicis, qui testes, si fortè obscure aut perplexè testimonium dixerint, alterà vice examinare potest, ut ita negotium super quo producti fuerunt, planum ac perspicuum fiat. *argm. l. 21. ff. d. inter in jur. fav. c. cum clamor. 53. extr. d. testib. Gail. d. Observ. 105. n. 11. & Observ. 108. n. 5. Term. d. l. n. 6. Harpr. d. l. 6. 185. Rosb. d. tit. n. 10.*

X C I. Posthæc perlectis ab utrâque parte attestatis, nihil antiquius habent litigantes eorumq; Advocati, quam ut quilibet omni adhibitâ curâ, pro obtinendâ causâ victoriâ, inter se disceptent atque concertent, alter intentionem suam ex dictis testium comprobando, alter tam contra personas quam dicta testium, itemq; formam examinationis excipiendo. *Gail. d. Observ. 105. n. 17. Harpr. d. l. 6. 191.*

X C II. Quæ contra personas objiciuntur exceptiones, ex variis causis emergunt: e. g. quod testis sit inimicus illius, in quem testimonium dixit, vel sit amicus, domesticus, consanguineus, affinis ejus pro quo dixit, item quod sit perjurus, infamis, pauper, vilis, criminofus & in notorio delicto hærens, falsarius, corruptus, similem habens

bens causam, vel denique ullâ aliâ ratione, ob amorem, odium, gratiam, falsitatem &c. suspectus. Contra dicta testium excipi solet, quod sint contraria vel sibi ipsis, vel reliquorum testium effatis, item varia, obscura, incerta, ambigua, præmeditata & composita, falsa, non verisimilia, non congruentia cum facto vel naturâ rei, extra articulos & interrogata, absque idoneâ scientiâ causâ prolata &c. Contra formam examinis nonnunquam objicitur: testem examinatum esse injuratum, aut super eo, de quo non juravit, non rogatum neque citatum, aut parte adversâ non citatâ, non secreto nec sigillatim, nec ad omnes articulos vel interrogatoria &c. *vid. Specul. tit. d. test. §. 1. VVesemb. w. n. 7. d. testib. Harpr. d. disp. 3. §. 196. & seqq. Rosb. tit. 61 n. 2. & seqq. ibiq; allegat.*

XCIII. Quando jam de illâ probationis specie, quæ fit per testes, hætenus sit dictum, succedit ea, quæ fit per instrumenta. Est autem instrumentum scriptura ad fidem & probationem rei, quæ in illâ continetur, facta. *Specul. tit. d. instrum. edit. §. 1. Term. c. 220. n. 3. Rosb. tit. 62. in pr.* Estq; vel publicum vel privatum; Publicum, quod manu Tabellionis seu Notarii publici, ad id specialiter requisiti secundum præscriptum in jure modum confectum est. *Specul. d. l. & §. nunc videndum. in pr. Term. Rosb. d. loc.* Hujus requisita enumerari solent: Invocatio nominis divini; Annus à nativitate CHRISTI, Indictio currens, nomen Imperatoris & annus regiminis ejusdem, series negotii & numerus testium, prout naturâ negotii, quod geritur, exigit, eorumq; nomina & cognomina, item mensis, dies locusq; celebrati actus, subscriptio denique Notarii, cum ejus signo. *Reichs-Absch. zu Eölln. d. Anno 1512. von Notarien. §. Vnd nachdem. Term. d. l. n. 9. VVesemb. w. n. 5. d. fid. instr. Harpr. disp. 4. §. 7. Rosb. d. l. n. 5.* Et hæc instrumenta plenam judici fidem faciunt. *Specul. d. tit. §. restat. n. 1. VVesemb. d. l. n. 6. Term. d. l. n. 6.*

XCIV. Privatum instrumentum est, quod non publicâ auctoritate factum aut munitum est, qualis est scriptura, quam quisque à se ipso describit & conficit. *Specul. d. §. nunc videndum. n. 4.* Ejus generis sunt: Antipocha, quæ est scriptura, quam debitor facit creditori, inq; eâ debitum confitetur; Apocha, etiam Quitantia dicta, quam facit e contra creditor suo debitori, in quâ debitum se recepisse fatetur, Libri rationum, seu registra (ut vocant) Mercatorum & Opificum

Opificum, quæ iidem de rebus suis emptis & venditis, nec non de mercede pro operâ suâ alicui præstitâ sed pretio nondum accepto conscribunt; Epistolæ, quæ sunt literæ privatæ, quales scribunt invicem absentes amici vel socii absentibus amicis vel sociis. Hæ scripturæ quomodo singulæ probent explicatum. *vid. ap. Specul. d. l. n. 5. & seqq. & d. S. restat. n. 7. & passim. VVesemb. d. n. 6. Term. d. c. 220. n. 19. & seqq. Rosb. d. tit. n. 19. & seq. Vmm. disp. 17. §. 4. n. 18. & b. s. n. 21. & seq.* Cæterum in nostris judiciis ita servatur, ut si in præsentia duorum testium integræ famæ ac vitæ honestæ negotium quoddam sit gestum, superq; eo instrumentum confectum, id ipsum (exceptis tantum testamentis) plenam judici fidem faciat, ita ut alteram partem absolvere alteram condemnare possit. P. H. G. Ordn.
tit. Von Beweisung. §. Bud erstlich.

XCV. Quomodo verò contra testes eorumq; dicta, sic etiam contra instrumenta complures solent opponi exceptiones, tales sunt: quod solennitates ac substantialia requisita sint omissa, e. g. si testes non sint adhibiti, vel subscriptiones omissæ; item quod ab inidoneo Notario factum, aut etiam ab eodem non sit absolutum, item quod causa debendi in instrumento non sit expressa, vel fortè sit rasum, cancellatum, non debito modo signatum, quod sibi ipsi sit contrarium, item quod non sit ritè productum, aut publicatum, vel aliquid contra voluntatem alterius partis in eo sit adscriptum; item simulatum, quando sc. aliud inter partes est actum, aliud in instrumento scriptum, tum enim plus valet, quod actum, quam quod simulatè conceptum ac scriptum est. *tot. tit. C. plus val. quod agit. Specul. d. tit. §. Instrumentum. VVesemb. d. l. n. 8. Term. c. 221. Rosb. tit. 63. ibiq; allegat.*

XCVI. Hoc modo per testes & instrumenta intentioni nostræ fidem facimus; nonnunquam verò & aliâ ratione, nimirum per confessionem rei conventi, de quâ paulò antè, item præsumptionem & iusjurandum probatio contingit. Præsumptio nihil aliud est, quam conjectura à lege vel homine ex circumstantiis personæ vel facti vel communi rerum ordine desumpta. Hæc quotuplex sit, & quatenus vim probandi habeat, explicat. *Mench. in suo tractat. d. præsumpt. Specul. tit. eod. VVesemb. x. d. prob. & præsumpt. n. 14. Rosb. tit. 65.* Iusjurandum est religiosa intentionis nostræ affirmatio, quæ DEUM immorta-

immortalem tum judicem, tum testem veritatis invocamus, ad firmandam fidem nostram interposita. *Vvesemb. π. d. jurejurann. sive volunt. n. 2.* Interponitur autem hoc vel liti finiendæ vel æstimandæ gratiâ. *l. 1. ff. de jurejurand. l. 1. ff. d. in lit. jurand.* Id quod ad finiendas lites pertinet, est vel voluntarium vel judiciale vel necessarium. *rubr. ff. d. jurej. sive voluntar.* Voluntarium est, quod extra iudicium ex conventionem & voluntate pars parti defert, & sponte suscipitur. *Rosb. tit. 66. n. 4.* Judiciale est, quod ex conventionem pars parti defert in iudicio, iudice approbante. *l. 12. § 1. C. d. reb. cred.* Necessarium est, quod iudex alteri partium ob inopiam probationis defert. *l. 31. ff. d. jurej. l. 3. C. d. reb. credit.* Quod autem ad liti æstimationem spectat, vocatur jusjurandum in litem, quo mediante obtestatione divinâ rem in iudicium deductam, & dolo vel contumaciâ adversarii non præstitam, ejusvè culpâ extinctam, vel etiam interesse nostrum æstimamus, idq; ab adversario præstari petimus. *Vvesemb. π. d. in lit. jurand. n. 2. Harpr. d. disp. 4. §. 136. Rosb. tit. 68. in pr.* Hoc dividitur vulgo in jurament. in litem Affectionis & Veritatis. Affectionis illud est, cum actor pro suâ affectione (quæ aliâs in æstimationem non venit. *l. 33. ff. ad leg. Aquil.*) rem æstimat, etiam ultrâ verum rei pretium. *l. 1. & 2. ff. d. in lit. jurand.* Veritatis est, quo quanti res revera est & valet, seu quanti interest, æstimatur. *l. 2. §. 1. ff. d. tit.* Prædictæ hæ species, Confessio, præsumptio & Jusjurandum, non tam species probationum sunt, quam modi ab onere probandi actorem relevantes. *Rosb. tit. 64. in pr.*

XCVII. Tantum de probationibus, quæ ubi satis jam Advocatorum scriptis tam confirmatoriis, quam refutatoriis examinatae sunt, tandem ad causæ conclusionem proceditur. Ea autem tum facta dicitur, quando deductis probationibus, exceptionibus, replicationibus, duplicationibus &c. partes omni ulteriori allegationi juris & facti renunciarunt, totumq; negotium iudici definiendum submitterunt. *Spec. in pr. tit. d. renunciat. & conclusion. Term. c. 226. n. 1. Rosb. tit. 70. n. 1.* Hæc verò renunciatio ad acta est scribenda, cum nunquam præsumatur in causâ conclusum, nisi id ex actis appareat. *e. quoniam. ii. extr. d. probat.* Fitq; vel expressè, cum disertis verbis, vel tacitè, cum nullâ adjectâ protestatione de amplius jure suo deducendo causa ad sententiam refertur. *Term. d. l. n. 4. & 7.* Item fit vel

vel purè, quando simpliciter & absolute in causâ concluditur, vel eventualiter, quando cum conditione, protestatione, & reservatione, veluti: si pars adversa nihil novi interim proposuerit, vel alioqui nihil facti de novo emerferit, submittitur. *Rosb. d. tit. n. 5.* Effectus Conclusionis est, quod nulla post illam admittatur probatio vel allegatio, nisi evidens aliqua ratio iudicem moveat, vel sit causa criminalis aut matrimonialis, item si probatio fiat per confessionem partis, vel per rei evidentiam; Item si tales emergant probationes, quæ ante conclusionem in notitiam partis venire non potuerunt. *Marant. part. 6. tit. d. conclusion. n. 1. 5. 8. Gail. 1. Observ. 107. n. 10. & seqq. Mynsing. Cent. 3. Observ. 17. n. 10. & seq. Rosb. d. l. n. 10. 12. & seqq.* Quid si verò partes concludere noluerint? siquidem protrahendæ litis gratiâ iudex id fieri perspexerit, potest eas vel sufficienti dilatione concessâ ad concludendum officio suo cogere, vel causam in contumaciam non concludentis pro conclusâ accipere inq; eâ pronuntiare. *Novell. 115. c. 2. Specul. d. tit. n. 1. Gail. d. l. n. 2. Mynsing. d. l. n. 14.* Quod ad iudicem verò attinet, ejus respectu nunquam in causâ conclusum intelligitur, quin eam officio suo rescindere, & svadente rei necessitate, ulteriorem probationem injungere possit. *c. pastoralis. 5. ibi nisi iudex. extr. d. caus. poss. & propr. Gail. d. l. n. 5. & seqq. Mynsing. Cent. 6. Observ. 56. n. 7. Vult. d. c. 31. n. 48. Rosb. d. l. n. 11.*

XCVIII. Post Conclusionem fertur sententia, quæ nihil aliud est, quam iudicis definitio controversiæ litigantium finem imponens condemnatione vel absolutione factâ. *Specul. tit. d. sent. §. 1. Marant. part. 6. tit. d. sent. n. 1. Vult. d. c. 31. n. 72. in fin.* Estq; vel definitiva, quæ principalem controversiam terminat, vel Interlocutoria, cum iudex de incidenti aliquo articulo pronuntiat. *argm. rubr. C. d. sent. & interlocut. Specul. d. l. §. species. n. 1. & 3. Marant. d. l. n. 23. VVes. 7. d. re jud. n. 4. Rosb. tit. 71. n. 2.* Hæc rursus vel simplex, quæ in finibus nudæ Interlocutoriæ consistit, vel Mixta, quæ vim definitivæ obrinet, & non principaliter quidem & directè, sed per consequentiam principale negotium definit, undè non tantum quoad formam & effectum interponendæ appellacionis, verum etiam quoad alios juris effectus veræ definitivæ æquiparatur. *Gail. 1. Observ. 130. n. 5. Mynsing. Cent. 3. Observ. 88. Bender. d. revision. actor. conclusion. 10. n. 11. & conclus. 11. n. 4. Term. c. 227. n. 10. Rosb. d. l. n. 4. & seq.*

E

XCIX. Debe

XCIX. Debet autem sententia ferri de rebus in iudicium deductis & ad jurisdictionem iudicis pertinentibus, & quidem lite contestata, & causa probationibusq; plenè cognitis; Concipi item debet in scriptis, atque ita pronunciarì loco & tempore congruo, partibus ad audiendam sententiam citatis. *Schurff. Cent. 1. Consil. 9. n. 2.* Debet præterea conformis esse libello. *Schurff. Cent. 2. Consil. 12. n. 3. & Consil. 68. n. 8.* Item continere absolutionem vel condemnationem, denique juri esse consentanea, sive scripto sive consuetudinario, quæ enim talis non est, ipso jure habetur pro nullâ. *l. 19. ff. d. appell. Rosb. d. l. n. 20. & seq.* Finis & effectus sententiæ, interlocutoria quidem est, quod licet ipsa causa principalis per eam non terminetur, tamen eò tendat, ut in eâ melius ac tutius procedi possit; definitiva autem, quod per eam universa lis sopiatur, quod fit, quando transit in rem iudicatam, elapsis post ejus publicationem decem diebus. *Nov. 23. c. 1. Nov. 119. c. 5.*

C. Accidit autem sæpius, quod pars victa iudicis sententiæ acquiescere nolens læsam se dicat, proinde prodita sunt aliquot remedia, quibus ille, qui revera læsus est, possit impugnare sententiam & ita executionem aliquandiu suspendere. Horum usitiora sunt Deductio Nullitatis, & Appellatio.

CI. Nullitas est vitium ex defectu ordinis & solennitatum in processu observandarum emergens. *Rosb. tit. 72. in pr.* Et est commune quoddam auxilium, quod nemini denegari debet, adeò ut etiam tertius ratione sui interesse de nullitate excipere possit; quando verò admittenda, quando rejicienda, iudex ex actis æstimabit, & si alicujus momenti, præsertim si substantialem iudicii figuram concernat, recipiet, sin verò dubia, levis, parumve relevans, expeditioni causæ potius favebit, cum in dubio pro validitate actus præsumatur & exceptio litem in longum extrahens calumniola reputetur. *argm. l. 12. ff. d. reb. dub. l. 80. d. verb. oblig. Rosb. d. l. n. 2. & seqq.*

CII. Causæ autem, ex quibus nullitates sententiarum oriuntur sunt variæ uti (i.) ex defectu personarum in iudicio versantium, idq; vel iudicis, si sc. à iudice incompetente, corrupto, recusato, incapace, aut aliàs prohibito sit lata, aut si iudex delegatus extra causam delegatam, aut ultra terminum delegationi præfixum tulerit; vel litigantium, quando fortè non habent potestatem & personam standi

standi in iudicio. (2.) Ex defectu ipsius processus, puta si lata sit omissis substantialibus ipsius processibus, qualia sunt, citatio, litis Contestatio, probatio &c. Item si desint solennitates ad sententiam requisita, uti si à iudice non sedente pro tribunali, si tempore & loco non conseruetis, si in feriis, si sine scriptis sit lata; porro si lata sit post finitam jurisdictionem & extra territorium jus dicentis, si non contineat absolutio nem vel condemnationem, si sit incerta, obscura, dubia, si denique lata sit ex causâ notoriè falsâ, manifesto errore, contra manifesta jura &c. *Specul. d. tit. d. sent. §. nunc videndum. §. qualiter. §. juxta. Marant. d. l. n. 53. & passim. Term. c. 228. n. 3. & seqq. Rosb. d. tit. n. 11. & seqq.*

CIII. Appellatio est ab inferiore iudice ad superiorem ratione alicujus gravaminis facta provocatio. *Bender. d. tract. d. revis. act. in proem. n. 4. Wesemb. w. n. 3. d. appell. Vult. d. lib. 2. c. 33. n. 9. Harpr. disp. 6. §. 5. Rosb. tit. 73. n. 2.* Et est alia judicialis, quæ in iudicio à minore ad majorem iudicem interponitur; alia Extrajudicialis, quæ extra iudicium, vel à præsentibus, vel à futuro gravamine suscipitur; sitq; non tantum à parte extra iudicium, verum etiam à iudice extrajudicialitèr procedente. *Bender. d. l. n. 5. & 6. Term. c. 230. n. 3. & seqq. Rosb. d. l. n. 3.*

CIV. Licitum verò est cuilibet appellare, qui sententiâ iudicis sivè iniquè sivè ex imperitiâ judicantis gravatus fuerit, nisi nominatim prohibeatur; qualis est, qui ob veram contumaciam condemnatus est. *l. 13. §. 4. C. d. Judic. l. 1. C. quor. appell. non recip. c. de illicitâ. §. quinimò. c. 24. q. 3.* item qui antea appellationi renunciavit. *l. 1. §. 3. ff. à quib. appell. l. fin. §. fin. C. d. tem. & repar. appell. debitor quoque fiscalis aut tributarius publicus. l. 4. C. quor. appell. non recip. uti & qui confessus est vel convictus de crimine. l. 2. C. eod.* Et appellandum est ab inferiore iudice ad superiorem, non tamen præterito medio. *l. 21. in pr. & §. 1. ff. d. appell. Specul. tit. d. appell. §. nunc tractemus. in pr. nisi vel justitiam denegaverit, vel consenserit, vel suspectus aut quoquo modo inhabilis fuerit, aut appellatus quoque de ordine servando non exceperit. Marant. part. 6. tit. d. appell. n. 368. & seqq. Gail. 1. Observ. 119. n. 2. Mynsing. Cent. 1. Observ. 67.* In omni quoque causâ appellatio interponi potest, exceptis illis, in quibus appellationem admitti jura expressè vetant, uti sunt

causæ, quæ sunt infra legitimam appellandi quantitatem. *Novel. 27. c. 3.* Item res dilationem non recipientes. *l. 7. in pr. ff. d. appell. recip.* Item si ab executione fuerit appellatum. *l. 4. in pr. ff. d. appellat.* nisi executor vel malè sententiam interpretetur, vel etiam modum præscriptum excedat. *d. l. 4. §. 1. l. 5. C. quor. app. non recip. Specul. d. tit. §. in quibus. per tot.*

CV. Porro ut forma ac modus appellandi ritè observetur, attendi potissimum debent sequentia requisita: (1.) appellatio intra decem dies coram iudice qui sententiam tulit, vel etiam coram Notario, cum sc. vel iudicis copia haberi non potest, vel appellans ejus aditum horret, *Rosb. tit. 73. n. 22.* interponi debet, *Nov. 23. c. 1. c. anteriorum. 28. c. 2. q. 6. c. bonæ memoria. extr. d. Confirm. util. vel inutil.* quod ipsum decendum à tempore latæ sententiæ currere incipit de momento in momentum, ita ut elapso illo nemo postea appellans audiatur. *Term. c. 230. n. 11.* dummodò sciverit, latam fuisse sententiam; Sin minus à tempore saltem scientiæ currere decendum incipit. *c. biduum. 29. §. si adversus absentem. c. 2. q. 6.* atque ita tempus quod ab initio erat utile, progressu continuum efficitur. *Specul. d. tit. §. restat. n. 1.* Sic quoque si iudex copiam sui non fecerit (quo casu utile quidem protestari non tamen necessarium *Vvesemb. d. l. n. 9.*) sufficit postea, ubi iterum aditus ad eum patet, appellari. *d. c. biduum. §. quare si fortè. c. 2. q. 6. Marant. d. l. n. 215. Mynsing. Cent. 2. Observ. 2. Bender. d. tract. concl. 25. n. 17. cum seq.*

CVI. (2.) requiritur, ut factà legitimè provocatione intra triginta dies apostoli petantur, quos si omiserit appellans, appellationi renunciassè præsumitur. *c. ab eo. 24. c. 2. q. 6. c. ab eo. d. appellat. in 6. clem. quamvis. eod. tit.* Sunt autem Apostoli literæ dimissoriæ datæ à iudice à quo, declarante per istas an appellationi interposita detulerit, an non detulerit, ad iudicem ad quem appellatum est, ut is eò melius de causâ possit informari. *l. un. ff. d. libell. dimissor. Term. d. l. n. 16. Vult. d. l. c. 33. n. 27.* Atque hi non sunt unius generis; Alii namque Apostoli vocantur dimissorii, per quos appellationi defertur, & appellans ad ejus jurisdictionem, ad quem provocatum est, dimittitur. *l. 106. ff. d. verb. sign.* Alii Reverentiales (qui maxime sunt in usu *Rosb. tit. 74. n. 5.*) quibus appellationi in honorem & reverentiam iudicis superioris defertur. *c. 1. d. appell. in 6.* Alii refutatorii,

tatorii, in quibus iudex certas causas exprimit, ob quas appellationi non deferat, danturq; ut plurimum à iudice in iis casibus, in quibus iura appellationem admitti prohibent, quales casus complures enumerat *Specul. tit. d. appellat. §. in quibus. 2.* Alii Testimoniales, qui dantur à Notario, quando aut iudex adiri nequit, vel etiam Apostolos dare recusat. *c. fin. extr. d. appell.* Alii denique Conventionales, qui dantur vel à Notario, vel etiam ab ipso appellato appellationem admittente, sive in iudicio; sive extra iudicium, iudice vel renuente vel tacente ac permittente. *Term. d. l. n. 13. & seqq. Rosb. d. tit. n. 3. & seqq.* Sunt autem Apostoli petendi cum omni diligentia ac sollicitudine; unde & vulgaris illa clausula solet annecti: Peto instantèr, instantius & instantissimè. *d. l. un. ff. d. libel. dimiss. Marant. d. l. n. 131. Rosb. d. l. n. 12.*

CVII. (3.) Impetratis Apostolis necessarium est, ut appellans præsentet se iudici, ad quem appellavit, petatq; appellationem recipi, idq; intra eum terminum, qui ipsi à iudice, à quo provocavit, præfixus est, quem postea de sua præsentatione, appellationisq; receptione certum reddere, atque insuper inhibitionem referre debet. *Term. d. l. n. 24.*

CVIII. (4.) Id probè curabit appellans, ut prosequatur suam appellationem intra annum, vel interveniente legitimâ causâ intra biennium. *auth. ei qui C. d. tempor. appell. c. oblatæ. 57. §. licet igitur. extr. d. appellat.* quod nisi fecerit, appellatio fit deserta, & ad iudicem à quo causâ remittitur executioni mandanda. *clem. sicut. d. appellat. Marant. d. l. n. 228. VVesemb. w. quand. appell. sit. Term. d. l. n. 28. Harpr. disp. 6. b. 99.*

CIX. Effectus appellationis præcipuus est, ut eâ interpositâ nihil ampliùs, executione interim suspensâ, attentari possit. *rot. tit. ff. nihil. nov. app. interp. & ibi; VVesemb. in π. Specul. d. tit. §. nunc dicamus. n. 8. & §. novissimè. per rot.* nam ut vulgò loquuntur, per appellationem iudici à quo manus constringuntur, ne in causâ ulterius procedere possit. *l. 3. C. d. appel. Bender. d. l. concl. 13. n. 6.* Atque eum in finem solent à iudice ad quem, cum appellatio admissa est, emitti literæ inhibitoriales & compulsoriales, quibus mandat iudici à quo, ut ad se acta causæ transmittat, prohibetq; ne in eadem quidpiam deinceps molliatur. *VVesemb. d. l. n. 2.* Quod si verò pendente lite &

interpositâ appellatione aliquid innovatum sit, ante omnia per judicem appellationis in pristinum statum reducendum est. *c. bona memoria. §. i. extr. d. appell. c. non solum. eod. in 6.*

C X. Alia quoque extant remedia, quibus ad infringendas vel reformandas judicum sententias condemnati experiri solent, qualia sunt: Supplicatio, Restitutio in integrum, Declaratio seu Leuteratio, Reductio ad arbitrium boni viri; quæ tamen, ne excrescat nimium hic noster discursus, hac vice attingere prohibemur; videat, qui volet, *Specul. tit. d. restit. in integr. & tit. d. Supplicat. Marant. passim tit. d. appellat. Bender. tot. tract. d. revision. actor. Harpr. d. disp. 6. Rosb. tit. 76. & 77. & alios.*

C X I. Tantum de modis impugnandi sententiam, quæ ubi in rem judicatam transit, ita ut amplius infirmari nequeat, executioni mandatur, quæ antequam sit, de expensis primùm quæstio institui solet; Hic semper pro regulâ observatum, quod victus victori regulariter in expensas veniat condemnandus. *l. 13. §. 6. C. d. Judic. l. 5. C. d. fruct. & lit. expens. c. finem. extr. d. dol. & contum.* Sunt autem expensæ aliæ in rem (de quibus tamen hoc loco non agitur) eamq; vel mobilem vel immobilem. *vid. tot. tit. ff. d. impens. Term. c. 231. n. 3.* aliæ in litem; atque hæc debentur vel ratione victoriæ causæ, vel ratione contumaciæ, vel ratione retardati processûs, vel ratione temerariæ citationis. *Term. d. l. n. 4. Harpr. disp. 5. §. 168. Rosb. tit. 78. n. 4. per jur. ibi allegat.* Non autem omnes expensæ in æstimationem & condemnationem veniunt, sed judiciales saltèm & necessariæ, quæ sc. in causæ litivè instructione & persecutione factæ sunt, non delicatæ & nimis profusæ. *Specul. tit. d. expens. §. postremò. n. 6. & seqq. Gail. 1. Observ. 151. n. 1. Harpr. d. l. §. 173.* Proceditur autem hoc modo: Primùm à victore in judicio expensarum æstimatio & designatio exhibetur, dein reus citatur, postea æstimatio earundem, audito prius adversario, ex bono & æquo à judice taxatur & temperatur, tandem victori super taxatis per interlocutoriam juramentum defertur. *auth. post jusjurandum C. d. judic. Specul. d. §. in pr. & n. 1. Harpr. d. l. §. 174. Rosb. d. l. n. 7.* Nonnunquam verò pars victa à solutione expensarum liberatur, veluti: Si justam litigandi causam habuerit, aut intentionem suam aliquatenus probaverit, vel si communem opinionem, aut consilia aliquot clariss. Dd. pro se habuerit &c.

l. 78. §. 2. ibi. si ratio litigandi. ff. d. legat. 2. Gail. 1. Observ. 152. n. 6. Schurff. Cent. 1. Consil. 29. n. 11. Bender. d. l. concl. 9. n. 4. Term. d. l. n. 6. Harpr. d. l. §. 175. & seqq. Rosb. d. tit. n. 15. & seqq.

CXII. Postremus judiciarii processus finis est executio, quæ est persecutio & perfectio rei judicatæ, parte citatâ in bona vel corpus condemnati facta. *Rosb. tit. 79. n. 2.* Solet autem pro faciendâ executione implorari officium judicis, quod in eò versatur, ut rem judicatam in effectum deducat, si sc. bona condemnati in ipsius territorio extiterint, sin minus, per literas requisitoriales à judice in cujus territorio sita sunt, subsidiariam operam ad executionem petat. *Schurff. Cent. 1. Consil. 33. n. 1. Gail. 1. Observ. 130. n. 14. Mynsing. Cent. 3. Observ. 68. Rosb. d. l. n. 5. & seqq.* Fit autem executio per apparitores auctoritate judicis jurisdictionem habentis in bonis condemnati, eo ordine, ut primùm ad res mobiles & se moventes, iis vel deficientibus, vel non sufficientibus ad immobiles, postremò & in subsidium ad jura & nomina deveniatur. *l. 15. §. 2. ff. d. re jud. Specul. tit. d. Execut. §. sequitur. n. 2. Marant. tit. d. Execut. n. 8. & seqq. Schurff. Cent. 1. Consil. 19. n. 6. Harpr. disp. 5. §. 157. & seqq. Rosb. d. tit. n. 11. vid. Pomm. H. G. Ordn. p. m. 157. & seqq.* nec potest executio ullâ exceptione, quæ altiorem indaginem requirit, impediri; quamvis enim ejusmodi exceptio opponatur, nihilominus tamen fit executio, & postea demùm super oppositâ exceptione cognoscitur. *Term. c. 233. n. 5. Rosb. d. l. n. 16.*

Tantum.



COROL-

COROLLARIA.

Iudex, qui tulit sententiam, eam quoque, si fortè obscurius in eà reperiatur verbum, interpretabitur; Undè enim jus prodiit, interpretationem quoque procedere conveniens est. *c. inter alia extr. d. sent. excom. l. fin. C. d. legib.*

Advocato propter expensas in litem factas retentionem actorum concedi rationes ll. evincunt, quæ aliàs rem propter impensas in eam factas retineri permittunt. *l. 8. ff. d. pignorat. act.*

Rationes Mercatorum ad probationem debitæ quantitatis solas non sufficere, indubitati juris est. *l. 6. § 7. C. d. probat.*

Mulier prætextu paupertatis libidinose vivens à poenâ non excusatur. *l. 43. §. 5. ff. d. rit. nupt.*

Injurians alterum, ob veritatem dicti convicii non excusatur, sed nihilominus injuriarum potest conveniri. In actione enim injuriarum, non tam veritas convicii, quam voluntas & libido injuriandi spectatur. *argm. l. 6. §. 1. C. d. postul. nec debet quis alterius infamiam sine causâ detegere, cum defectus nostros detegi inhumanum ac injuriosum sit. l. 2. C. quand. & quib. quart. pars. Secus si Reipub. intersit objectum convicium cuilibet esse notum. Gail. 2. Observ. 99.*

Nemo dici potest aliquid in bonis habere, donec æs alienum iude detractum fuerit. *l. 11. ff. d. jur. ffc. l. 39. §. 1. ff. d. verb. sign.*



*Ad Præstantissimum Jurium Candidatum
Ordinem Juris
monstrantem
FRANCISCI STYPMAN D. & Præsidia
Scazon.*

Juris scientiæ vigil, fidelisq;
cultor, Themis tibi hicce pandit excelsas
Honoris ædes. Perspicaciori nam
leges acumine antiquas ad alternos
examinas casus bonos, & enormes.
Nunc quid doces in se sit æquum, & injustum,
dum jura tractas quâ queant ad ingentem
usum referri. Laus tua est, manebitq;
hæc semper. ET JUS SCIRE, ET OPTIME ILLO UTI.

~~~~~  
**R**ECTI purus odor populos diffusus in omnes,  
Plures jam stimulis animare haud segnibus instat,  
Allicit atque sui cultores, præmia summa  
Promittens, tantum ut calcar tendentibus addat.  
*Ille suavis odor dudum te frater amande*  
Cœpit & allexit, speratæ præmia laudis  
Ostendens, cœptos si protinus urseris ausus.  
Ergo age fervore haud tardo feliciter urge  
Propositum, aude aliquid, Juris magnosq; labores  
Suscipe, lata patet præstantibus area cœptis.

*Hisce raptim felices in studio Juris pro-  
gressus precatur & gratulatur Fratri  
Charissimo*

*M. JACOBUS BALTHASARI.*

*Quale*




*Q* Vale sit ingenium tibi *foavis Amice, tuis q<sup>3</sup>*  
*Quid sibi promittat patria de studiis;*  
*Limatum exhibet hoc monumentum de Processu*  
*Famam concilians atq<sup>ue</sup> perenne decus.*

Quod eruditissimæ, Eximii Dni.  
Respondentis Viruti debi-  
tum L. MQ. gratulatur

Georgius Engelbrecht.



32. Gravius, de commissis emphytheusis.
33. Gravius, de iudic<sup>io</sup> syndicatorum.
34. Gravius, de conditionibus.
35. Gravius, de reconventionem.
36. Gravius, de iure sequenti.
37. Ludwig, de successione conjugum.
38. Thomaeus, de his quae pro non scriptis habentur.
39. Musaeus, de praetio iuris iustitiani faori.
40. Schobel, de gravitatibus tam realibus quam personalis.
41. Wessphal, belli iusti et honesti gerendi modus.
42. Wessphal, de communiis pacatorum ad belligerantes.
43. Wener de solutionibus.
44. Westphal, de pactis liberarum gentium.
- ~~45.~~ 45. Wegkerst, Labyrinthus graduum cognationis in numero personarum detectus, seu Clavis legis divinae.  
Sig. de gradibus et adfex.







est. Cum autem reliquæ lineæ omnes sint inæquales  
numero personarum cum prima concordare necess

Continentur ergo linea primâ -  
secundâ - -  
tertiâ - -  
quartâ -

Summa totius gradus septimi

Præmissorum graduum numerus concordat cum  
si in l. 10. ff. de grad. & adfin. nisi quod in plu  
ribus de quinto gradu sic legitur: *Quinto gradu  
nentur centum & octoginta quatuor*: sed lege  
apparet ex schematis supra allatis.

Egimus de septem gradibus, quos tractat Pa  
Quod si quis adeo curiosus sit, ut etiam nu  
octavi scire aveat, & huic satis fieri poterit, si ob  
que hic occurrere lineas, ex quibus una est æqualis  
in linea recta hic dupletur numerus personarum  
septimi gradus occurrentium: inæquales singulæ  
bunt numerum: æqualis vero dimidio minus.

Ita prima linea continebit  
Secunda -  
Tertia -  
Quarta -  
Quinta, quæ æqualis est  
Summa gradus octavi

Servatis his proportionibus etiam indagabi  
graduum numerus, & in gradu nono invenientur

In decimo

